



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Desiderius. Dialogvs Vere Pius, & Comprimis Iucundus, De  
Expedita Ad Dei Amorem Via**

**Comalada, Miguel**

**Elvaci, 1685**

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60062](http://urn.nbn.de/hbz:466:1-60062)





UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

DESIDERIUS.  
\*\*\*  
**DIALOGVS**  
VERE PIUS, & COMPRIMIS  
JUCUNDUS,  
DE  
**EXPEDITA AD DEI  
AMOREM VIA.**


*Ex Hispanico in Italicum,  
Gallicum, Germanicum, Belgicum,  
& Latinum Sermonem conversus, ac  
demum varijs collatis versionibus  
recognitus.*



**E L V A C I**

Apud SEBASTIANUM HAUSER,  
Typographum Aulicum.

M. DC. LXXXV.





A D

## P I U M L E C T O R E M .

**D**I ALOGUM Hunc  
Hispanus quidam  
sermone Hispanico  
primum edidit, qui deinde  
ab alijs in Italicum, Galli-  
cum, Germanicum, Belgici-  
cum & Latinum est idioma  
translatus, ut scilicet vel  
hoc ipso testatum sit omni-  
bus, quantus ex illius le-  
ctione sit sperandius fructus,  
qui bonorum studio virorum

A 2 tam



tam diversis est nationibus  
evulgatus. Spectat verò  
eò totus, ut compendiariam  
ad veram obtainendam cha-  
ritatem, quæ juxta Aposto-  
lum est plenitudo legis, tra-  
dat viam: idque tanta cum  
venustate, lepore, pruden-  
tia, ordine & suavitate fa-  
cit, ut Lectorem quamvis  
fastidiosum retinere, qua-  
dicuntur, queant. Non-  
nunquam subobscurus est,  
propter brevitatem, ita ut  
non passim quibuslibet, quid  
velit, obvium sit: sed maxi-  
ma ex parte perspicuus & fa-  
cilius

cilis est. Virum Religiosum  
fuisse, qui eum conscripse-  
rit, dubium non est: sed no-  
men suum suppressit, fugiens  
hominum laudes, vel nescio  
quā aliam ob causam. Eum  
ante annos centum triginta  
duos Latinè convertit Fr.  
Laurent. Surius, vir summè  
pius, & sempiternā memoriam  
dignissimus, qui Germanicū  
exemplar penè semper secu-  
tum se fatetur. Eundem  
codem tempore Latinè item  
interpretatus est Arnoldus  
Vander Meer Naeldvvice-  
nus, Juris Licentiatus, qui

A3 pra-

prater Gallicum & Belgicum, Hispanico etiam exemplari, autographo scilicet ipso, usum se esse scribit. Nos, collatis exemplaribus, quod optimum visum est, in hac editione secuti sumus, sententiarum magis quam verborum studiosi. Atq; utinam Christiani omnes talium potius scriptorū lectione delectarentur, quam meritis nugis, immo & perniciosis ac pestiferis vanorum bonum lucubrationibus, à quibus tamen avelli non possunt: cùm è diverso quidquid

AD LECTOREM.

quid pietatem sapit, fastidiant, non aliam utique ob causam, nisi quod animi stomachum corruptis plenum humoribus gerant, sicq; instar eorum qui febribus aestuant, salutariarecuset, & amplectantur noxia. Multa sanè de virtutibus scripta sunt, sed nescio, si quidquam æquè jucundum, atq; bic Dialogus, unquam prodierit. Raro quodam verborum compendio, & quatra tione vitia profliganda, & virtutes obtainendæ sint, declarat: idque, ut dixi, tan-

A4 t2



6 AD LECTOREM.

ta cum festivitate , ut miro modo Lectoris, quamvis aliud agentis , animum demulceat. Eum Interpretes , alij THESALLRUM Devotionis , alij COMPENDIUM veræ salutis , alij , cum primo ejus Auctore , DESIDERIUM inscripsierunt : quem tu bone Lector facito , ut cum desiderio legas. Vale.



PRO-



## PROLOGUS AUCTORIS.

**D**igna reprehensione est accepti alicujus beneficij notitia, cui debita erga Auctorem gratitudo non responderet. Nam qui beneficium acceptum probè agnoscit, is etiam jure naturali magis largitorem ejus amare debet. Et nunc, dulcissime JESU, codices omnes eā tuā sacra-tissimā Majestatis & Divi-

A<sup>s</sup> nita-

## 8 PROLOGUS

nitatis, æternique Patris tui  
notitiâ abundant, quâ nos  
præditos esse convenit: Ex-  
tat Sanctissimum Evangelium  
tuum, præstantissimæ  
humanitatis tuæ sanguine  
tinctum & exaratum, quo  
teipsum, nobilitatem & per-  
fectionem tuam, ingentemque  
amorem, quo nos sem-  
per prosequutus es, atque  
etiamnum prosequeris, co-  
piosè perspecta habemus.  
Ita mi Domine, libri ubique  
hisce rebus pleni sunt. Mun-  
dus plenus Concionatori-  
bus, veluti tubis quibusdam,

quæ

AUCTORIS.

quæ tuam nobis virtutem &  
excellentiam prædicent &  
annuncient, ad tui nos amo-  
rem & venerationem, & ad  
laudes gratesque tibi agendas  
incitent & permoveant, ef-  
ficiantque, ut te creatorem &  
longè amantissimum Pa-  
trem nostrum agnoscamus.  
At nihilominus tanta est no-  
stra ingratitudo , oblivio,  
tuiq; incuria & contemptus,  
ut nemo penè sit, qui te quæ-  
rat, sed cuncti in obscuros ac  
tenebrosos peccatorum an-  
gulos & latebras fugiamus.  
Quamobrem Domine Deus

A6 meus,

## 10 PROLOGUS

meus, indignus hic servus  
tuus, tuâ fretus gratiâ & ope,  
quo à tuis creaturis melius  
cognoscaris , ameris , co-  
laris ac honereris , exiguum  
hoc Opusculum suscepit &  
confecit, ut servos tuos tibi  
deditos, ad virtutem & san-  
ctimoniam extimulet & in-  
vitet. Cuncta autem quæ  
hîc dicentur , rectius sen-  
tientium judicio & sanctissi-  
mæ & immaculatæ Catho-  
licæ Fidei Regulæ submissa  
sunto. Et quia hisce tempo-  
ribus propter nostra peccata  
tam ingens est tempor & desi-

dia

dia nostra, veriq; amoris tui  
affectus & desiderium tam  
nullum & exiguum, varijs  
Domine auxilijs & incita-  
mentis cumprimis habemus  
opus, quibus ad tui amo-  
rem excitemur & urgeamur.  
Quapropter & totus hic li-  
bellus parabolis & similitu-  
dinibus est refertus, eam sci-  
licet sequens rationem, quâ  
tu Domine potissimum  
usus es, parabolas in altissi-  
mis institutionibus & do-  
ctrinis tuis, adhibere  
solitus.

\* \* \*

PARS



# PARS I.

*Desiderius peregrinatur.*

## CAPUT I.

**N**vaftâ quâdam solitudine degebat vir quidam sanctus ac pius, jeniji, obsecrationibus, & vigilijs serviens D E O. Hunc quandoque ingens incessit cupido veram absolutâmque sapientiam & Amorem D E I, quatenûs quidem possibile foret, adipiscendi. Itaq; secum statuit totum peragrare orbem, exploraturus, si quem uspiâm reperire liceret hujus rei magistrum. Mox è sua egressus cellula, magno

*cum*

cum desiderio cœpit iter capessere.  
Et posteaquam vir pius (dicebatur  
autem Desiderius) multo jam tem-  
pore in itinere positus fuerat, ob-  
vium habuit pastorem quemdam,  
in medio prato suas pascentem oves,  
cujus aspectu exhilaratus est. Jam  
enim prolixa emensus erat itinera-  
nec tamen quemquam unquam vi-  
dere contigerat. Gratias, inquit  
Desiderius, ago Omnipotenti DEO  
Frater mi, quod te huc reperio. Et  
Pastor, advenisse te, ait, gratula-  
mur: Ecquid verò in hac perquisis  
solitudine? Cui Desiderius respon-  
dit: Equitem quemdam, qui  
hac profectus est,  
inquiero.



*Instructit Prælatoſ ac Paſto-  
reſ ſpirituaſe.*

## CAPUT II.

**I**ntrum non ſine admiratione Desiderius Pastoris hujus erga officium ſuum curam ac studium contemplabatur. Tenebat enim virgam manu, pera vel ſportula ad dextrum appendebat latus, ſoleas ligneaſ gerebat in pedibus, tunicaſ promissaſ veſtituſ erat, ad laevam e zona corniculum, ad dextram aliud majus cornu pendebat: utrumque latus ſtipabant duo canes prægrandes, nec longe aberat tugurium ejus, veſribus ac ſentibus undique ſeptum ac communitum. Pastor verò cogitatundus ſtetit, cernens Desiderium intenta acie ſe contueri, aitque ad eum: Quid me ſic aſpettas? Nullumne antehac pastorem aut opilionem vidisti? DESIDERIUS.

Mul.

Multos equidem mi Frater vidi , sed  
neminem adhuc tam benè instru-  
ctum. Quæso , ne molestum tibi  
sit causam mihi reddere eorum , quæ  
ex te sciscitaturus sum. PASTOR.  
Minimè verò id molestum erit , mo-  
dò ea mihi constiterint. DESIDER.  
Quam ob rem baculum geris? PAST.  
Miror sanè , quî id scisciteris. Cùm  
enim ipse itidem sis pastor , quomo-  
do hujus te fugit ratio? Evidem  
propterea baculum hunc circumfe-  
ro , ut illi innitar , eoque me su-  
stentem , ne , dum cum oviculis  
meis circumeo , alicubi impingam  
& labar : cum etiam ut oves mode-  
rer , rectoque deducam itinere , ne  
per devia oberrent , sed maneant  
conjunctæ semper , ne singulæ pro  
suo arbitratu diversum sibi iter eli-  
gant. Si qua namque à cæteris sese  
abjungat , aut hæreat post alias , hoc  
eam baculo pulso vel impello , do-  
nec alias comitetur. DESIDERIUS.  
Quid verò in pera vel sporta hac ha-  
bes?

bes? PASTOR. Quatuor quædam: Nempe igniarium, id est, ferrum & silicem, quo ignem exicitem, ad quem me, dum frigus urget, calefaciam, itemque quo mihi & socijs cibos parem. Deinde etiam panem, cepas, lecythum, sive ampullam oleariam, & sal circumfero, unde læpius ovibus meis, maximè verò è sale, porrigo. DESIDERIUS. Cur soleis ligneis uteris? PASTOR. Ut brumali tempore, dum ningit & frigus est, pedes calidos conservem. Si enim calcis uterer cultioribus ac arte elaboratis, celeriter frustatim attererentur. DESIDERIUS. Quid sibi vult promissa hæc, quâ indutus es, tunica? PASTOR. Hic meus habitus est, quo nisi utar, nemo me pastorem agnoscet. DESIDERIUS. Quæso te unde hic habitus confectus est? PASTOR. Ex oviuis pellibus. DESIDERIUS. Licuisséne ex lupinis, aut aliarum bestiarum pellibus eum

con-



conficere? PASTOR. Nequaquam. Facilè námque oves lupinas pelles adoratu persentirent, iisque perceptis, à me diffugerent. Dum verò suis me pellibus tectum conspiciunt, amant & sequuntur me. DESIDER. Oro te, quid habes in corniculo è zona ad lèvam pendente? PASTOR. Unguentum quoddam, quo oves, dum scabie infestantur, perungam. DESIDER. Quid est in majori cornu ad dextrum latus appenso? PAST. Cretæ genus, quo signem oves meas, ne alienis sese immisceant. DESID. Canes hosce quorsum habes? PAST. Ij noctibus latratus edunt, fugantq; & perterrefaciunt lupos, quo ovi culæ sint magis in tuto, mihi quietiori ac securiori liceat somno perfriui. DESIDERIUS. Quamobrem isthæc omnia tam probè curas? PAST. Quod benignum ac liberalem habeam Dominum, qui magnam, eamq; minimè contemnendam, mihi mercedem pollicitus est: quanquam

non

non tam mercedis, quam ab eo ex-  
pecto, contemplatione, quām ex  
amore. quo illum prosequor, ita  
me gero.

*De Eodem.*

## CAPUT III.

**M**irabatur ista secum Desiderius,  
atque impendio illi placebat,  
quod pastor cuncta ex amore ageret;  
atque ad eum : Quandoquidem  
frater mi in campo hoc potissimum  
versaris, possesne aliquo indicio  
certioreme reddere de equite quo-  
dam, qui solus huc illucque vagar-  
tur, eò quod è suis sedibus ejectus  
sit, nolintque eum subditi sui agno-  
scere aut recipere, atque ea ex causa  
explorat & perquirit, si quem of-  
fendat uspiam, qui ipsum suscipere  
velit, & apud quem demorari pos-  
sit? PASTOR. Ecquod hujus equi-  
tatis vocabulum est? DESIDERIUS.

Amor

Amor DEI. PASTOR. Novi sanè  
ubi demoretur. Quòd si oviculas  
meas perinde ut ego, pascere nōsles,  
cordéque & animo ad eas pascendas  
firmo ac robusto satis fores, jam te  
ad ipsum perducerem, ne deinceps  
ut antea, illius perquirendi causa  
errabundus ultrò citrōque discurrere  
cogereris. Amat namque pastores,  
& libenter apud illos versatur. Et  
licet præclarus ac nobilis sit eques,  
tamen pastoris filius est. Atqui pla-  
nè animadverto, hominem te esse  
delicatum, ac teneræ habitudinis  
sive complexionis, neque toti gre-  
gi huic servando unum te sufficere,  
neque per hauc solitudinem cum  
oviculis ingredi posse. Unde ne-  
cessitatem, ut aliud arripias iter. De-  
SIDERIUS. Quod me vis iter, bone  
Pater, arripere? PASTOR. Per  
hanc pergendum tibi est solitudi-  
nem, inveniésque haud ita procul  
insignes ædes, in quibus non nisi  
virgines degunt, ex quibus de hoc  
equi-

equite poteris certior fieri. Ea  
námque ingenij ac naturæ amabilita-  
te, suavitate ac probitate præditus  
est, ut ad quoslibet sese adjungat.  
Satis isthac dicta arridebant Deside-  
rio, maxime quòd reperiendi Amo-  
ris D E I spem illi præberet, aitque  
ad illum : DESIDERIUS. Obs-  
cro frater, ut quā pergendum sit,  
me edoceas, ne de via per errorem  
decedam. PASTOR. Non licet mihi  
oves deserere : at tamen comimo-  
dum itineris socium tibi adhibeo,  
quo comite, faventibus superis, po-  
teris rectâ gradi viâ. En canem  
istum tecum ducito. DESIDERIUS.  
Quî vocatur? PASTOR. Bona vo-  
luntas. DESIDERIUS. Vale mi frater.

PASTOR. Et tu itidem rectè  
valeas, prosperoq; utaris  
itinere.



De

*De Humilitatis Domo.*

C A P U T I V .

**I**gitur relicto Pastore, Desiderius iter ingressus est, unà cum cane suo juxta ipsum cursitante, cùmque in itinere haud mediocriter confirmante & consolante. Ubi aliquam multos dies atque noctes eundo exegerat, Dominica die ad pratum quoddam pervenit, ingens sanè, elegans ac jucundum, sed in arida ac petrosa regione, vel solo, situm. Quæ res non parvum illi stuporem ingessit, quòd tam elegans, viride, floridumque consiperet pratum in loco usque adeò sicco, lapidoſo, spinis ac tribulis obſito. Porrò in hujus prati medio eximiæ erant constructæ ædes, quod illi magnam attulit voluptatem & lætitiam. Accedens autem proprius, vidi fores clausas, & virginem quamdam ad cas foris consistentem, habitu qui-

dem

dem. & gestu ac moribus, ut videbatur, honestam. Quæ ubi Desiderij canem contuita est, timore ac terrore cœpit corripi. Ad quam Desiderius: Nihil, ait, timeas: nānique canis meus nemini nocere novit. Mirabatur interea vehementer Desiderius, videns virginem hanc solam præ foribus consistere, dixitque illi: Quid hīc agis aut præstolaris sola, mēa sōror? Cui illa: Expecto, inquit, dum fores patefiant, ut intrō me recipiam. Et Desiderius: Quo, inquit, vocaris nomine? Ad quod illa: Vana Gloria appellor. Interim non parūm diu præstolabatur Desiderius, priusquam porta recluderetur atque patesceret. Cernens autem se diu frustra morari, pulsare atque clamitare cœpit. Habebant nāmque fores malleum ferreum, quo pulsaretur, isque longanimitas dicebatur. Confestim autem vir quidam prodiit grandævus ac venerabilis, portamque:

que aperuit. Siquidem ostiarius  
& totius domus illius custos erat,  
noménque illi erat, Timor DEI.  
Vito hoc tam egregio, cordato ac  
venerando sene, exhilaratus est De-  
siderius, & post debitum illi impen-  
sum honorem, manūmque deoscu-  
latam, ita eum affatus est: Eā gratiā,  
mi Domine, hic accessi, ut equitem  
quendam, vocabulo Amorem DEI,  
perquiram: dictumque mihi est,  
eum per hanc profectum eremum,  
atque ad has ædes appulisse. Quare  
scire velim, sitne intus apud vos.  
Ad hanc inquisitionem ostiarius gau-  
dio perfusus, quippe qui Amorem  
DEI, utpotè germanum suum, im-  
pensè diligeret, ait ad Desiderium:  
Quamobrem, fili mi, hunc equi-  
tem requiris? quid ad illum negotij  
habes? DESIDERIUS. Ea re,  
Domine Pater, illum inquiero, quod  
mihi non modò placeat plurimum,  
sed etiam cumprimis necessarius sit.  
TIMOR DEI: Quid est igitur?

B. Num.

Num tale aliquid habes, quod non  
sis ausus edicere? DESID. Nimirum  
hoc est, Domine, quod illius frui  
consuetudine, apud ipsum famuli  
loco demorari, eoque preceptore  
ac Domino uti percupiam: siqui-  
dem in cunctis hisce regionibus nec-  
dum quemquam, qui meo federet  
animo, Moderatorem aut Dominum  
adipisci potui, tametsi perplu-  
res me expetierint ac obsecrarint.  
Cæterum de hoc Amore DEI ab alijs  
didici, perquam nobilem, beni-  
gnum, & commodum eum esse  
Dominum, servisque suis magna  
largiri præmia, eò quod locuples ac  
liberalis sit. TIMOR DEI sive Ostia-  
rius: Verum quidem est, eum hac  
transisse, sed paucis comitatum.  
Atqui in præsentiarum non est in his  
rectis. Sed parumper expecta, dum  
virginem huc ad te evocem, quæ  
ubinam sit, certis indicis tibi  
declareret.

\* \*

21

*Ut Vana Gloria ad fores  
excubârit.*

## C A P U T V.

**D**esiderius interea latus redditum Ostiarij, & Virginis adventum sustinebat : neque multò pōst modestissima quædam atque honestissima advenit virgo , quæ eum familiariter salutans , ab eo vicissim salutata est : dixitque illi Desiderius : Nomen tuum , obsecro , edicas mihi . Quæ ait : Evidem Nihilipen-  
sio vocor , quia non admisceo neq;  
occupo me rebus supervacaneis .  
Quî verò , ait Desiderius , Domus  
hæc appellatur ? At illa , Domus ,  
inquit , Humilitatis , siquidem mul-  
tæ hîc intus virgines sub unius Hu-  
militatis magisterio sive imperio  
commoramur . Quæ igitur , ait  
Desiderius , est virgo illa , quæ fo-  
ris ad ostium subsistit ? Respondit  
Virgo : Ea nimirum Vana Gloria est ,

B 2. quæ

quæ perpetim ad fores residet, do-  
nec patefiant. Quamobrem si Ostia-  
rius sit negligens, neque strenue  
suum curer officium, aut fores sinat  
apertas, potest utique hue irrepere.  
Cur eam non intramittitis, inquit  
Desiderius, quando verbis, habi-  
tu, gestu benè morata & honesta  
videtur? Neutquam, ait virgo,  
eam nōsti, mi Frater. Fera profe-  
ctò pessima est. Nam quantò habi-  
tu ac moribus honestior ac religio-  
fior videtur, tantò detetior est. Ec-  
quid, ait Desiderius, mali vobis  
irrogat? Ad quod Virgo: Quan-  
tum, inquit, maximè potest. Nam-  
que improbissimo patre progenita  
est, qui Amor sui appellatur: &  
matre nequissima, nempe sui repu-  
tatione vel existimatione immodica.  
Hoc autem patre & matre, itemq;  
eorum filiâ, nullos magis pernicio-  
sos toto orbe hostes experimur:  
iidemq; Equiti cuidam, qui præ-  
cipuus noster Paterfamilias est, &

Amor

Amor DEI dicitur, multò sunt infestiores. Et ut noveris, quæ nobis mala inferat Vana Gloria, ubi semel intrò irrep̄sit, usque adeò vorax & gulosa est, ut cum primis ad hortum sese recipiat, fructusque omnes arboris, omnium, quas habemus, pulcherrimæ & optimæ, tollat ac devoret, cùm tamen illis fructibus vitam sustentemus, neque nisi unicam duntaxat, quæ hos ferat fructus, arborem habeamus, eamq; tam parcos producentem fructus, ut vix sustentandis nobis sufficient. His autem ablatis per Vanam Gloriā fructibus, tam inopes ac pauperes remanemus, ut nihil omnino nobis sit reliquum. Et quod his pejus est, tam versipellis est adulatrix, ut posteaquam semel huc ingressa est, nemo fit, qui multo sudore eam possit foras ejicere, prater solani præcipuam Matrem nostram: quâ visâ, mox in pedes sese conjicit. Unde satius est, nullam ei huc in-

B 3      tro-

troeundi copiam facere. Atque ea re consultissimum nobis visum est, senem hunc ostiarium nobis perpetuum retinere. Nam valde durus & rigidus est, moxque illi fores præcludit, agitque satis, ne huc possit ingredi. Adeoque precatæ eum sumus, ut, quoties porta referanda est, circumspectus sit, nec ostium unquam apertum manere sinat. Stupebat hæc Virginis dicta Desiderius, atque ad eam: Magnoperè sanè curandum vobis est, quandoquidem tam vobis pernicialis est, ne in has ædes ullus ei unquam aditus patefiat.

*Qua ratione ad Humilitatem perveniat.*

## CAPUT VI.

**A** It porrò Desiderius: Quisnam te in has elegantes, honestas, & virtutibus conspicuas perduxit ædes? Duæ, illa respondit, virgines

gines huc me introduxerunt, qua-  
rum una dicitur Contemptio Mundi,  
quæ erat pia admodum: Altera  
Contemptio sui, quæ priori sanctior  
est. Hæ virgines intrò me dedu-  
centes, supremam Matrem & Do-  
minam nostram, ut me reciperet,  
precabantur: quod tamen non fe-  
cisset, nisi ob amorem Equitis cu-  
jusdam, qui nobis in itinere venit  
obviam, nobiscumque huc intravit,  
cujus causâ hac me donavit ueste, at-  
que in virginum suarum contuber-  
nium me admisit. Quòd si ea nobis  
divinitùs gratia præstata non fuisset,  
ut Eques ille nobiscum intraret, to-  
tum hoc iter frustra confecissemus.  
Neque enim me unquam suscep-  
sint, totiusque laboris mei jactu-  
ram ipsa fecissem. D E S I D. Quod  
illi Equiti nomen est? V I R G O.  
Amor D E I. Gratum valde erat  
Desiderio, Amorem D E I tantæ  
esse existimationis, ut ejus causâ tot  
tantaque fierent, majorique illius

B4 desí-

desiderio accensus est. DESID. Orotor mea , quibus parentibus  
prognatae erant virgines illæ duæ,  
quæ te huc introduxerunt ? Non  
enim parùm confert ad alicujus pro-  
bitatem ac honestatem , si honesto  
ac virtutibus ornato patre editus sit.  
**U**t plurimùm enim arbor ex radice  
virtutem trahit. VIRG. Non me  
illarum progenitores latent : quippe  
quæ præclaris ortæ natalibus sunt,  
earumque parens in Regis nostri pa-  
latio ex præcipuis unus est , diciturq;  
**Cognoscere.** Itidemque earum  
avum benè novi , cuius est nomen,  
**Considerare** , estque reverè intelli-  
gens , prudens , ac strenuus vir ,  
officio suo probè perfungens. Isq;  
uxorem duxit , nomine Sapientiam  
vel Prudentiam. DESID. Eques in  
itinere vobis factus obviam , solus-  
ne ad vos advenit ? VIRG. Minimè  
gentium. Enim verò puerum quem-  
dam impensè ipsi charum secum ha-  
buit , vocabulo , Amorem proximi.

DESID.

DESID. Possisne certum me efficere,  
quonam Eques abiérit? VIRG.  
Possim equidem. Sed jam intrò in-  
grediamur, ducamque te ad quas-  
dam, quæ te hinc certius edocere  
poterunt. Atqui, O D E U S bone i-  
ait, quid sibi vult canis hic tam gran-  
dis, quem tecum ducis? quorsum  
illo uteris? DESID. Datus est mihi  
ab alijs. Principio namque parvum  
apud me catellum habebam nutritum  
in cubiculo meo, donec ad quem-  
dam perveni pastorem, à quo gran-  
dem hunc canem accepi, qui me  
per hanc vastam sylvam & solitudi-  
nem comitaretur, in qua multos  
aliorum relatu didici serpentes & fe-  
ras degere, quas ille fugare novit.  
VIRG. Quinam vocatur? DESID.  
Bona voluntas. VIRG. Canis pro-  
fectò optimus is est, modò eum be-  
nè servare nōris; certus esto, donec  
tecum erit, nihil tibi patietur mali  
accidere, neque est, quod per de-  
via aberraturum te verearis.

B5 Dic

Dic mihi, obsecro: ex quo potero  
de hoc Equite certior fieri? VIRG.  
Frater mi, procul hinc habitat,  
longumque tibi per hanc eremum  
conficiendum est iter, antequam ad  
illum pervenias. Ad minus septem  
dierum iter agendum est. Septem  
namque in hoc deserto domus sunt,  
neque praeter hanc alia via superest:  
Attamen ob Amorem DEI, cuius  
te avidum conspicio, compendia-  
riam quamdam semiram tibi indica-  
bo, qua celerius multò ad illum  
pertinges. Sed meo pareas consi-  
lio necesse est. Desiderius his au-  
ditis latabatur, maximè quod se  
solùm ob Amorem DEI id facturam  
assereret, dixitque illi: DESIDER.  
Quidquid voles faciam, tantum ut  
DEI Amorem consequi liceat. VIRG.  
In hac solitudine octo domus sunt,  
quarum ista, nempe Humilitatis,  
prima est, altera Justitiæ, tertia  
Prudentiæ, quarta Fortitudinis,  
quinta Temperantiæ, sexta Fidei,  
septi-

septima Spei, octava Charitatis est.  
In hac extrema D E I Amor commo-  
ratur, atque inibi ostiarij fungitur  
officio. Atque totum hoc iter per-  
agendum est, modò rectè proficiisci  
velis. Verùm, ut antè dixi, iti-  
neris quoddam compendium te do-  
cebo, quo citius ad eum pervenias.  
At nihilominus aliquamdiu hisce in  
ædibus demoreris oportet, quò cun-  
cta instituta nostra probè addiscas,  
animadvertis, ac memoriâ comple-  
ctaris, ut cum Domina nostra ejusq;  
Filiabus amicitiam contrahas, no-  
minaque & gestus ac vitam earum  
firmiter retineas, & diligenter edi-  
seas. Deinde ubi cuncta hujus do-  
mûs bene explorâris, atque ad DEI  
Amorem quædam à nobis documen-  
ta pertuleris, ob eximiam illam,  
quâ has ædes præ cæteris domibus  
prosequitur, dilectionem, absque  
mora libentissimè te suscipiet, ma-  
ximè si à Domina nostra litteras ad  
eum apportâris. D E S I D. Quare

B 6      præ

præ cæteris chariores vos habet.  
Eques, quando (ut mihi videtur)  
omnium pauperrimæ, longè infi-  
niæ & paucissimæ estis? VIRG.  
Domus hæc prima in hac eremo ex-  
ædificata est, cæteræque omnes huic  
subjectæ sunt: præcipuisque Pater-  
familiâs & Præfectus noster, hujus  
Domus opifex & architectus, apud  
nos commoratur. Et licet per hoc  
desertum cæteras ædes invisurus,  
atque in bono servaturus ordine ob-  
ambulet, non tamen aliter, quâm  
hujus domûs filium, sese patitur ap-  
pellari. Atqæ adeò primùm hîc à  
nobis habitu donatus est. Magno-  
pere hisce vitginis hujus dictis Desi-  
derius delectabatur: adeò ut cor su-  
um amore transfigi atque inflammari  
sentiret. Siquidem verborum illius  
mentem probè capiebat, dixitque  
illi, optatissimum sibi esse etiam  
multo tempore inibi degere, & cun-  
cta diligenter explorare. Tum  
verò

verò manu illius apprehensâ, dixit  
illi virgo: Jam igitur pergamus  
intrò.

*De Humilitatis proposito, &  
eiusdem cum Desiderio collo-  
cutione.*

## C A P U T VII.

**D**omûs hujus structura Deside-  
rio cum primis arridebat,  
ejusque stupebat pulchritudinem,  
quandoquidem simplex, minimeq;  
fucata erat. Non enim in altum a-  
surgebat, neque curiosis picturis,  
aut coloribus admodum ornata, sed  
humilis & commoda erat, neque  
super arenam, sed petram vivam  
collocata. Deinde ubi in Oratorio  
precem dixerat, ad Dominæ cubi-  
culum virgo eum perduxit, quæ  
eum humanissimè exceptit, quod  
admodum pius & D E O devotus esse  
videretur: jussitque eum apud se re-

fide-



fidere, aitque illi: Quæ te res permovit, Fili, ut ad nos accederes, cùm tamen inopes, simplices & abjectæ simus? DESID. Domina Mater, Equitem quemdam, cuius est nomen Amor DEI, perquiro: atq; ut ab alijs accepi, invenire eum non licebit, nisi priùs aliquamdiu hīc apud vos intūs demoratus ero. Unde nisi molestum est, sub tua obedientia tuoqué imperio vivere perquam velim. HUMILITAS. Desiderium tuum & bona voluntas mihi sanè gratissima sunt: tamen primum dispicias, ac diligenter expendas tecum, quid suscepturus aut aggressurus sis, ne postmodum facti te pœniteat. DESID. Gratiam suam in bonis omnibus, omniqué virtute perseverandi mihi ut præstet, DEUM oro. HUMIL. Amen, idemqué bonum hoc, quod in te cœpit, opus etiam absolvat & consummet. Atqui insuper ncessum est, ut & ipse pro viribus id, quod

po-

poteris, adhibere ne omittas, quò  
DEUS tandem perficiat. DESIDER.  
Ecquid mihi agendum censes?  
HUMILITAS. Dicam tibi fili. Si  
quidem apud nos permanere cupis,  
neque à meis virginibus foras ejici,  
isthanc filiam meam minimam, quæ  
te hoc introduxit, amicam & mo-  
deratricem sive magistram tibi assu-  
mas oportet: quæ quidem Nihili-  
pensio ( id est, omnis curæ super-  
vacanæ contemptio ) dicitur, cui  
ea de re id à nobis demandatum offi-  
cij est, ut hospites excipiat: & ipsa  
Novitiorum semper moderatrix est.  
Ejus autem imperio quotquot subja-  
cere nolunt, nunquam perseverant.  
DESID. Lætus sanè eam mihi ma-  
gistram accipio. Interim oro, Do-  
mina Mater, tuum nomen, genus,  
conditiones, statumque mihi indi-  
ces, & qua ratione hisce virginibus  
præfecta sis: ut enim mihi relatum  
est, cunctarum tibi parentium vir-  
ginum proprietates, conditionem,

ac

statum nōsse oportet, idque eò, ut  
dum eas perspectas habuero, tanto  
ferventiū amem: atque ubi hinc  
discessero, eis, qui ex me fortè sci-  
scitaturi sunt, rectius possim re-  
spondere, ac pleniū eos edocere.  
**HUMIL.** Nomen mihi Humilitas  
est. Pater meus, Contemptus sui  
dicitur. Avus meus, Cognoscere  
seipsum vocatur. Ejus conjux, Co-  
gnitio DEI appellatur. Avus hic  
meus ex quadam civitate duxit origi-  
nem, cuius est vocabulum, Atten-  
dere vel Considerare quid sim,  
quid fuerim, quid futurus sim.  
Eius conjux, id est, Avia mea, ex  
alio prognata est oppido, nempe  
Consideratione Amoris DEI. Ad  
antedictam verò Avi mei patriam  
nonnisi duabus pergitur viis, por-  
tisque duabus aditus pater. Prima  
est, Ipse met Homo: altera, Crea-  
turæ. Ajuntque nemini ad alteru-  
tram harum portarum, nisi volitan-  
do, patere accessum & ingressum;  
ipsum-

ipsumque Dominum nostrum proprijs manibus hanc exædificâsse civitatem : eò quod nemo sit præter ipsum unum, qui tam commodam, elegantem, atque firmam possit structuram conficere. D E S I D. Itane Dominus noster, cuius tanta est majestas & præstantia, ejusmodi exstruendis muris, operique lateritio ac luteo efficiendo sese adjungit? H U M I L. Maximè sanè : siquidem insignis est artifex, peritusque cæmentarius & architectus : adeoque gaudio illi est & voluptati, lutea conficere opera, sive ex luto struturas, murosque efficere. D E S I D. Quid causæ est, ut isthæc agat, quando nullius prorsus indiget? H U M I L. Ad hæc agenda non nisi immenia illius bonitas eum impellit ac movet, qua fit, ut nunquam velit cessare, quin aliis prospicit : nec illis omnibus, quæ efficit ac molitur, nisi singulorum ac omnium salute, commodum, ac felicitatem spectat & aucu-

pa-

patur: ita tamen, ut honor & laus  
ipsi uni tribuantur. Hacque de cau-  
sa tam insignia efficit opera, ex tam  
vili materia, nempe, è luto vel ter-  
ra, nimirum ut operum magnifi-  
centiâ cum materiæ vilitate collatâ,  
cuncti ipsum admirantur, laudent,  
& diligent. DESID. Evidem satis  
admiror, tam præstantem Domi-  
num laudibus velle affici. Pericu-  
lum sanè maximum est, ne vanâ  
gloriâ capiatur. HUMIL. Nihil  
minùs ei metuendum est: quando-  
quidem ita perfectus & absolutus est,  
ut nihil ei perfectionis desit: ho-  
norque illi impensus & gloria, non  
vana est, sed illius propria est, eumq;  
decet, eiique jure debetur. Et quan-  
tumvis ei magnus habeatur honos, si  
tamen ad eum spectes honorem, qui  
illum decet, eiique congruit, ejusq;  
majestati debetur, non potest un-  
quam pro dignitate honorari. Atq;  
ea re laudari ac exaltari vult, non  
quòd sit gloriæ cupidus, sed quòd  
ju-

justissimus sit, velitque cuilibet, quod suum est, tribui: cumque illi uni, tanquam soli bono, omnis honor, laus & gloria debeatur, ea etiam sibi uni vult praestari ac exhiberi. Quod si quisvis alius ea tanquam sua ac propria ambiat & appetat, ejus vana est gloria: præripiturque ac suffuratur eam illi, cuius unius est: potestque pro deliberato ac voluntario fure haberi, quando rem alienam, insidente ac invito domino, contrectat, sibiique usurpare appetit.

*Prosequitur inchoatum sermonem Humilitas.*

## C A P U T VIII.

**D**E SIDERIUS. Posteaquam Domina Mater, genus tuum mihi edixisti, velim explices, quinam hujus domus praefecta sis instituta. Siquidem clarum quidam,

dam , eximiusq; honos is mihi vide-  
tur : possitq; olim ita evenire, ut &  
ipse alicujus domûs præfectus effici-  
ar. Multùm enim interest, inter jus-  
sa dare & accipere. Humilitas his au-  
ditis in lacrymas prorupit. Cui De-  
siderius : Quamobrem , inquit ,  
Domina Mater , lacrymas fundis ?  
**H u m i l.** Lacrymas mihi exprimit  
Fili hoc ipsum , quod humilitatis  
habitu foris quidem rectum , intus  
autem nudum te conspiciam : &  
quod nomine pius ac devotus videa-  
ris , te autem ipsa & animo procul à  
pietate & devotione absis. Frustrà  
quidem haec tenus in eum sermones  
commisi cuisti , quando hujuscemodi  
cogitatus & desideria mihi , Patriq;  
meo , & longè amantissimo Domi-  
no JESU , qui neque verbis , neque  
factis unquam dominatum expetiit  
& ambivit , neque venit ministrari ,  
sed ministrare , prorsus adversan-  
tur. A quo itinere quisquis defle-  
ctit & aberrat , non Beatitudinis ,  
sed

sed Damnationis amplectitur iter.  
Atq; O ! miseros & calamitosos nos,  
quibus alios regere ac moderari in-  
cumbit , cùm satis superque negotij  
nobis facessat nostri ipsorum mode-  
ratio. Talis honor prorsus miser-  
est , plenus curis omnigenis , labo-  
re , defatigatione , afflictione , an-  
gustiis , periculis , & horrendo ti-  
more : idemque si non rectè geritur  
ac administratur , sempiternâ igno-  
miniâ , & dedecore commutatur.  
O præfecturæ vel regiminis onus  
grave ! ubi nihil nisi labor & mole-  
stia sentitur : & à quibus merita præ-  
mia & gratiarum actio expectanda  
forent , odium , obmurmuratio , ac  
malevolentia recipitur. Siquidem  
aliquamdiu hîc apud nos demoratus  
eris , senties me verum dicere. Por-  
rò quod ad percontationem tuam at-  
tinet , nempe , uti ipsa in Præfe-  
ctam evecta sim , jam mea tibi pan-  
dam secreta , totumque animum ob-  
amorem D E I explicabo. Ubi ad  
has

has primūm accessi ædes, ita mecum  
constitueram , mihiq[ue] persuase-  
ram , me jumentum esse , cætera-  
rumq[ue] virginum vilem servam ac  
famulam : istudq[ue] propositum tan-  
toperè dilexi , appetij , & cordi ani-  
moq[ue] impressi , continenter ipsum  
mente volvendo , DEUMq[ue] ob-  
secrando , mihi id ut charum red-  
deret , uti D E U S omnipotens me  
illi in matrimonium collocârit ,  
eiusq[ue] conjugem effecerit : atque  
illius procuratione & operâ hoc mu-  
neris vel officij adepta sum : tametsi  
id ipsa neque vellem , neque appe-  
terem . Hæc ubi Desiderius perce-  
pit , virginem hanc eximia censuit  
virtute præditam , eò quòd se ob  
Amorem DEI usque adeò vilipendie-  
ret ac abjiceret . Cumq[ue] eam ad-  
huc virginem esse cerneret , facile  
animadvertisit , non carnale , sed spi-  
ritale eam matrimonium comme-  
morare : aitq[ue] ad eam D E S I D E R .  
Quisquis igitur in Superiorem &

Præ-

Præfectum vult erigi ac promoveri, is priùs (ut ipsa fecisti) sese abjiciat ac humiliet oportet. HUMIL. Ita planè Fili. Quod si probè capias, fenties hanc ipsius summæ veritatis esse sententiam. DESID. Et quî me hæc capere oportet? HUMIL. Ita videlicet, eum qui se humiliet, exaltari, sic tamen, ut non eò se humiliet, ut idcirco optet exaltari, ita namque superbus erit. Superbia autem & Humilitas sibi mutuò adversantur: & quod plus est, semper sibi invicem contradicunt. Siquidem in opere, quod quis facit, dum sese perfectè humiliat, extollere simul non potest. Qui verò sese humiliat & abjicit eo animo, ut exaltetur, is actu quidem prælefert humilitatem, sed in seipso superbus est. Et quia actio ex fine & animi destinatione seu proposito denominatur, talis humilitas superbia dicitur. Ex quo fit, ut humilitas, non una ratione, sed diversa, superbia dica-

dicatur. Nam quod ad actum ipsum attinet, foris quidem humilis est, sed ob finem & animi destinationem, superbiæ obnoxius est. Atque ut propriè loquamur, humiliatio cum superbia non pugnat, sed spiritus humilitatis. Estque impossibile, ut hæc duo simul permaneant. Humiliatio enim nonnisi actus est: Spiritus autem humilitatis, tum actum ipsum, tum sese abjiciendi ac humiliandi propositum consummat & exequitur.

*Sermonis hujus continuatio,  
& de concertatione adversum  
vitia.*

## CAPUT IX.

**H**UMILITAS. Iste ergo Matri-  
tus meus jam ante commemo-  
ratus, ( videlicet Propositum hu-  
miliandi me ut jumentum & servum  
omni-

omnium) mihi suppetias tulit, fidumque se ac commodum & utilem præstítit in quadam similitate ac concertatione, quæ mihi est cum Domina quadam & nonnullis virginibus alterius domus, nempe Superbiæ, cuius Domina & Præfecta, Superbia vitæ appellatur, quæ quotidie mihi oculos exsculpere molitur, mecumque jurgatur. Adducit autem secum ejusdem domus tam Subpræfectam, quæ dicitur Carnis Concupiscentia, quam Procuratricem, vocabulo, Concupiscentiam oculorum. Adjungit autem hisce tribus sese comitem virgo quædam improbissima, harum genitrix atque educatrix, nomine Negligentia, quæ cum sit interdum debilis ac imbecillis, & sine viribus, facilè tunc superatur. Interdum verò usque adeò sese cibis ingurgitat, ut robusta, crassa, ac periculosa existat. Habet sibi servam puellam quandam hebetem, planè deliram, male in-

C sti-

stitutam, ac parùm edomitam, vocabulo Malitiam: cum qua tres alia ancillæ huc adveniunt, quarum prior Ira, altera Acedia, tertia Invidentia appellatur: hisque postremis jungunt sese alia duæ, nempe Prava Suspicio, & Judicium Temerarium. Istæ omnes mecum inimicietas exercent, mihiq; infestæ sunt atque adversæ, quibuscum mihi pugnandum atque conflictandum est. Cumq; huc intrò ingrediuntur, adhibeo mihi maritum meum, sicq; evestigiò foras eas ejicimus, cogimusq; præcipites ruere & abscede-re. Tum verò hoc solum reformi-dandum nobis superest, ne virgo, quæ ad fores perpetim observat, puta Vana Gloria, huc irrepat. Nam si illi huc intrandi fiat potestas, omni nos fructu & gaudio, quæ ex alijs devictis ac profligatis contraximus, miserè despoliat, ita ut planè jejuni maneamus, neque labore ac defati-gatione nostra perfruamur. DESID.

Quâ

Quî fit igitur, ut, dum aliæ vobis no-  
cituræ huc ingrediuntur, non etiam  
ista foris persistens, sese intrò recipi-  
piat? HUMIL. Eò videlicet, quod  
aliæ illæ virgines alis præditæ sint,  
neque per portam intrent, sed per  
murum advolitent. Sæpius autem  
ita sese uspiam in his abdunt ædibus,  
ut, dum nos nihil suspicamur mali,  
ipsæ alicubi delitescant: maximeq;  
opportuno tempore, dum nos nihil  
veremur minus, ultrò citroque in  
Castro obainbulent ac pervagentur.  
Unde summoperè necessaria est cura  
ac circumspectio pervigil, ne quem  
ex improviso invadant & spolient.  
DESID. Agè hac de re diligentius  
colloquiamur. Quamobrem hæc  
vobis um illis lis est & conflictatio,  
cùm utique malum sit, hominibus  
secularibus perniciosa præbere ex-  
empla: id quod fit, ubi inter ho-  
mines religiosos ac devotos D E O,  
tot dissidia, tantamque improbita-  
tem conspiciunt, quos tamen non

C 2 igno-

vo-  
alia  
pri-  
nvi-  
emis  
Pra-  
rari-  
nici-  
sunt  
pu-  
est.  
, ad-  
que  
ogi-  
ede-  
rmii-  
rgo,  
pu-  
Nam  
nni-  
lijs  
hus,  
juni-  
fati-  
SID.  
i

ignorant mansuetos, benignos, misericordes, ac ob Amorem D E I, erga quovis amicabiles esse oportere? HUMIL. Eâ gratiâ nos hac domo eas depellimus ac exturbamus, litesque & jurgia cum eis gerimus, quod Divino Amori, qui Princeps ac Dominus noster est, prorsus infestæ atque contrariæ, capitalesque hostes sint. Enimverò in illis, quæ Divino adversantur Amori, cum nemine nobis ulla pacis consensio, nec quicquam commercij est.

### *De Concupiscentia Carnis.*

## CAPUT X.

**I**Nterim Desiderius isthac, quam erga Amorem D E I gerebat Humilitas, benevolentiam ac ingenti fiduciâ, mirificè delectabatur, aitq; illi: Oratam te velim Domina Mater, ut quibusnam rationibus acad-

mi-

miniculis virgines illas pestiferas,  
hostes vestras superetis & hinc ejiciatis,  
me docere non graveris. HUM.  
Evidem id probè te edoctum vellem.  
Sed quia naturam, vitam,  
habitudines animi ac spiritus tui nec  
dum funditus perspectas ac explorata  
habeo, sed conjecturas duntaxat  
& indicia quædam, adhuc animi  
dubia sum, num hinc instituendus  
sis. Siquidem ob naturæ multimo-  
das habitudines ac constitutiones,  
non omnibus mel dulce est. DESID.  
Domina Mater, quantusquantus  
hic sum, & à te conspicio, totum  
metuæ dedo voluntati, omnem ra-  
tionem ac intellectum meum tuo pe-  
nitùs submittendo ac permittendo  
judicio: tantum ut me doceas, qua  
ratione DEI Amor mihi reperiendus  
sit. HUMIL. Faciam id sanè ex ani-  
mo: secretaque mea & exercitatio-  
nes omnes quotidianas, vitamque  
totam tibi explicabo atque commu-  
nicabo. Principio quidem sanctum

C 3      il-

illud Propositum ac Institutum meum, cuius suprà memini, me totius mundi, dum eum contemno, Dominam fecit : per castigationes item & jejunia, Dominam corporis mei ; & per humiliationem mei spontaneam non modò dæmonis, sed etiam totius plebis meæ & communictatis, ac mei ipsius tandem, quod maximum est, Dominam ac Principem constituit. Enimverò dum plebs mea operam dare atque conniti me conspicit, ut DEI Amori placeam, cum totâ mihi obfistit familiâ meâ. Sola ego cum antè memorato conjuge meo, pace & tranquillitate perpeti furor. Stupebat intereà Desiderius virtutem ac efficaciam illius, quem Humilitas suum conjugem dicebat, aitque ad eam : DESID. Obscro Domina Mater, ut per quasdam similitudines hinc me pleniùs atque apertiùs instituas. Sum namque sic satis obtuso ingenio, faciliusque per exem-

pla

pla & similitudines horum mentem  
assequi potero. Placebat Humili-  
tati isthæc Desiderij postulatio, quan-  
doquidem modestus ac humilis non-  
nihil effectus videbatur, dum se ru-  
dem ac hebetem agnosceret: dixitq;  
illi: H U M I L. Ubi aliquam ex præ-  
dictis virginibus huc ingressam ani-  
madverto, fili charissime, hac me-  
ratione gero: nempe, dum prima  
adventat, ipsa scilicet Carnis Con-  
cupiscentia, jam antè conditiones ac  
habitudinem illius, & cuiusmodi  
ipsa sit, puta quòd admodum sit de-  
dita ingluviei, viresque sibi augeat  
cibi ac potionis adminiculo, neuti-  
quam ignoro. Eamobrem precio-  
sum omnem cibum illi subtraho: sed  
neque de communibus escis ac potu-  
rantum illi permitto, quantum ipla  
velit. Et quia propriæ vires ad eam  
edemandam non satis firmæ ac ro-  
bustæ sunt, maximè quòd domestici  
mei atque familia illi suppetias fe-  
rant, auxilium imploro: atque à

C 4      de-

dextris mihi assistit Divina Gratia, quæ cor meum adversùs hanc perniciem virginem muniat & confirmet. Itemq; viri mei posco opem, aioque ad eam: Soror, carnem ipsa meam contempsi, meque jumentum duco: jumentum verò nullas præclaras expetit escas, sed solam corporis simplicem sustentationem: neque etiam petit aut inquirit alia, præterquam quæ Dominus illius ei præbere velit. Quòdsi Dominus novit lascivum ac vorax illud esse, fiscella id capistrat, ne, nisi dum ipse velit, & quod illi visum sit, edat. Ita, soror, placet mihi hac in parte jumentum esse, meque ut jumentum gerere. Amor autem DEI capistrum mihi adhibuit, nempe sobrietatem, uti ne cibum capiam, nisi dum in commune administratur: & ne quid aliud inquiram, expetam, exigam, neque aliter apparatus & coctum, atque mihi proponitur: eoque contenta sim. Ad

hæc

hæc DEI AMOR adjecit; siquidem ipsi placere ac servire velim, uti etiam ex illis, quæ administrata sunt, solum necessaria cum timore ac mediocritate temperanter accipiam: semperque honestatis causâ quippiam in catino remaneat, uti hoc ipso me gratam significem, tantumque mihi præstitum, ut adhuc aliquid in paropside reliquum sit. Nam dum cuncta absuntur, tantundem est, ac si dicas: Quæ apposuisti, non mihi sufficiunt, neque ijs contentus sum: igitur jubeas plura apponi. Deinde etiam hæc mihi ob DEI Amorem institutio data est, velle quidem & appetere me debere, ut minus quam cæteris, & quod pessime præparatum sit, mihi tribuatur, semperque quippiam mihi desit, atq; in hoc ipso ob Amorem DEI gaudeam. Hac nimirum ratione virgo isthæc procax & petulaus, quantum quidem ad me attinet, proculata ac prostrata est. Verum quando

C<sub>5</sub> non

non mea duntaxat carne , sed etiam personis aliis ad libidinem me provocat ac extimulat , fugio eam quo ad possum , ab illis omnibus me abstracthendo ac segregando , quibus me ad amorem & libidinem vel concupiscentiam illicit . Atque hac in parte , tanquam præsentissimum remedium , præcipuamque artem & antidotum , fugam amplector . Neq; tamen solo in corpore me impugnat , sed etiam intùs in anima varias & illicitas ingerendo cogitationes & imagines . Hoc casu itidem fugiendo remedium adhibeo , abscondende in foraminibus petræ , in caverna maceriæ , cogitationesque & imaginationes meas ad dulcissimum J E S U M meum transfero , ejus videlicet sacratissimam vitam , passionem , cruciatu s , & mortem nimis acerbam commemorando : itemque ad mentem revocando tormenta inferorum , severum D E I judicium , mortemque meam & extremum vitæ

hu-

hujus diem , quodque divino me si-  
sti tribunali necesse sit, de omnibus  
illic rationem reddituram. Hisce  
adminiculis virgo nefaria, Subpræ-  
fектa Castris Superbiæ , prorsus pes-  
sum premitur , forasque ejicitur.

*De concupiscentia oculorum,  
& superbia vitæ.*

## C A P U T XI.

Porrò ad hanc penitus superan-  
dam , necessarium est , sociam  
illius , jam sæpè dictæ exitialis Do-  
mūs Procuratricem , puta Concipi-  
scientiam oculorum , quæ magnas  
Concupiscentias Carnis præbet alas ,  
itidem profligari. Ista namque sæ-  
pius illi materiam subministrat ,  
quanquam & ipsa sancto Proposito  
meo propulsatur. Siquidem ubi ad-  
ventat , ita illi aio : Jumentum sum ,  
soror , novique , jumentum non con-

cupiscere ea, quæ non habet coram se, cæterasque res superfluas: solaque necessaria expetere, & iis esse contentum: neque etiam in ipsis necessariis esse curiosum, parvipendendo num ephippium & frænum, cæteraque ejusmodi, inaurata sint, aut præsepe vel stabulum usquequamque ipsi accommodum sit, contentum videlicet, si stare aut decumbe-re liceat. Cùm igitur causa Amoris DEI, me jumenti loco habeam, etiam corpus meum ceu jumentum tra-ctabo. Sicut ergo jumentorum domitor, dum ea effrænata nimium, caputque huc atque illuc plus satis attollere conspicit, capistro injecto, cervicem illorum deprimit: ita & **A M O R D E I** quodam me chamo constrinxit, ipso scilicet Pudore aut Verecundiâ, ne vana isthæc curiosius aspiciam, eaque concupiscam. Non enim licet videre, quod non liceat concupiscere. Docuit autem me **A M O R D E I**, ut, ubi quippiam pul-

pulchrum, jucundum, rarum, singulare, ac affabre elaboratum conspexero, mox ita dicam: Amorem meum in te collocare nolo, teque respuo, ac merissimae vanitatis & nihil loco habeo: itaque memor præstantiae ac dignitatis meæ, in hujusmodi rem tam vilem, abjectam, futilem, caducam, amorem voluntatemque meam non conferam, sed in unum duntaxat summum ac præcipuum bonum, thesaurum, nobilitatem, neque unquam defecturam pulchritudinem, in ipsum nempe amantissimum J E S U M meum, qui amorem ac voluntatem meam, reposcit, eamque suo sibi jure vendicat. Hoc pacto altera virgo enervata succumbit. Hisce autem duabus propulsatis, restat extrema, Domina scilicet, una omnium terrima, callidissima ac fallacissima, bonis actionibus semper insidians, nomine Superbia Vitæ, quæ dum huc ingreditur, nunc hac, nunc

aliam

alia stipata pedis lequa, quandoque bonam, quandoque malam adducit æmulationem; sed illicè ex me audit, Jumentura non aliter tractandum est, atque jumentum: idemq; nullo honore. nulla existimatione, sed omni potius ignominia & contemptu dignum est. Quandoque ceu querula venit ad me, ita dicens: En! ut Superiores mei me habent, uti se erga me gerunt. Ætate & sapientiâ ac ingenio nihilo aliis inferior sum: & tamen cum illâ & illâ secùs atque tecum agitur. Sed illius ego technas mox deprehendo, eamq; antevertens, aio: jumentum non nisi duriter habendum, tundendum, verberandum est. Nam si herus illius benignè illi faciat, quandoque calcitrabit, aut cum eo jocari incipiet, nec debitum illi habebit honorem ac reverentiam. Enimvero cordatus ac intelligens Dominus jumentis suis, quamvis charis, nullam singularem, indebitam superflu-

fluam exhibebit familiaritatem & amicitiam, sed semper quandam præseferet gravitatem & auctoritatem: quandoquidem ejusmodi familiaritas non humilitati, benignitati, amori, affabilitati, sed iniicitæ potius ac stultitiæ tribuitur. Si quidem ea ipsa jumentis suis plus incommodi ac detrimenti, quam utilitatis adfert. Cæterum prudens ac discretus Dominus, potius operam dabit, appetetque, ut jumenta sua recto pergent itinere, oneraque sibi imposita bene ferant, quam ut ipsis charus sit, piusque & commodus ab eis dominus habeatur, aut eorum vehatur laudibus, ipsaque cum illo bene convenient. Hac namque ratione accidit, id quod saepius usuvire solet, ut domini in jumenta vel asinos, & jumenta in dominos abeant, quando domini ratione ac moderatione, vel discretione ita, ut oportet, non utuntur: & hoc ipso jumentis latiora captandi spatia, se-

sé-

séque amplius, quām deceat, extendendi occasionem præbent: sicque paulatim eò assuescunt, ut non aliò ausint ea domini ducere vel age-re, quām quò ipla velint. Quòd si ea extimulare aut cädere velint, retrocedunt, & calcibus feriunt. Tum verò si onera abjicere, vel cum ipsis oneribus penitus ea corruere nolint, conniveant necesse est Domini, sicutque, quæ velint, ferre onera, & quā velint, progrexi: sicque ipsi jumentis parere ac obsequi cogantur. Ita nimirum, Soror mea, etiam mihi eveniret, si meis affectibus indulgeri, meque voluptatibus & gau-dio affluere contingeret. Atqui is, qui me probè diligit, arguit & castigat me, ne pateam ignominia, penitusque peream, atque ex amore, quo me prosequitur, optans servare animam meam, corpus meum malè tractat. Neque ipsa aliter, quām jumentum, tractari peto. Aliàs verò eadem vita Superbia, sub

In-

Invidentiæ specie ad me accedens,  
ait: En! huic id demandatum officij  
est, illud illi: mei verò nulla habe-  
tur ratio vel cura. Alia Præfectæ,  
alia Sub-Præfectæ, alia Procuratri-  
cis fungitur munere: & alia deniq;  
à secretis est: me verò pro nihilo  
ducunt, quæ nec ætate, nec boni-  
tate illis inferior sum. Mihi, in-  
quam, nulla committitur functio  
publica, quò cæteris imperem: sed  
semper esse me cogunt ceu ancillam  
culinariam, imò ne id quidem,  
sed ancillam ancillarum omnium,  
quando nihil meæ fidei commis-  
serunt. Atque ut jam probè experior,  
qui plus facit operis, ei minor ha-  
betur gratia. Unde posthac nequi-  
ter ac improbè me geram. Qui  
enim ovem se fingit, devoratur à  
lupis. Id genus multa mihi propo-  
nit, perinde ac si mihi cognita non  
sit, neque unde eæ proficiuntur  
querimoniaz, compertum habeam.  
Respondeo autem illi: Non eo con-  
filio

filio, soror, mundum reliqui, atque ad hanc me sodalitatem contuli, ut ipsa aliis imperem ac moderer, sed ut aliorum jussa capessam. Siquidem obedientiam pollicita sum: ideoq; faciam id, cuius causâ hue me contuli, hucque vocata sum, quodque me facturam promisi. Non enim à me rationem reposciturus est DEUS, neque ex me sciscitaturus, quantum aliis ipsa imperârim, aut quantum honore, officiis, functionibus exaltata fuerim, sed uti præceptis illius obtemperaverim: utq; me Majoribus meis sponte submiserim, animoque me abjecerim ac depresserim. Ego igitur, soror mea, meo fungar officio, eo loco & ordine, quo à DEO vocata sum: aliasque alia suis in officiis, eis divinitus demandatis, exequi ac curare sinam. Interim hoc unum certissima sum, me eo in statu degere, qui certæ salutis indicium sit. Is est obedientia, submissionis, subjectionis, humili-

li-

litatis status, ex quo nemo potest  
excidere, nisi qui meditetur scande-  
re sublimius. Atque hinc nulla  
mihi conquerendi causa suppetit, sed  
potius D E U M Opt. Max. laudan-  
di, benedicendi, gratias agendi,  
magnificèque exultandi, eò quòd  
maximorum periculorum occasio-  
nem mihi subtraxerit ac præcluserit,  
in quæ nimis honoris & officia  
pertrahere ac devolvere solent ho-  
mines imperfectos. Quòd facit eti-  
am illa D. Augustini sententia: Nul-  
la re iram D E I in me æquè expertus  
sum ac didici, quām quòd me aliis  
præesse voluit. Et id quidem, De-  
sideri, mirum tibi videri non de-  
bet. Ut enim improba isthæc vir-  
go, quæ in ædibus Superbiæ domi-  
natum obrinet, ad omnem maliti-  
am cæteris propensior est: ita ad eam  
profligandam majori astutia, robo-  
re, exercitatione opus est. Et ne  
te nimium protraham, non jam le-  
vicula quædam commemorabo: sed

com-

compendiarium quoddam ac gene-  
rale tradam remedium , quo tum  
omnes , tum singulas hafce nefarias  
virgines superare queas. Ubi ali-  
qua earum , qualisqualis ea sit , ad  
te cum querimoniis venerit , meum  
imiteris exemplum. Verbi gratia:  
Dum Concupiscentia carnis queri-  
tur , parùm escæ , idque frigidum  
ac malè præparatum , sibi porrigi ,  
aut vinum acidum esse , atque intra  
domum res non satis ordine geri ,  
ita illi respondeto : Qui plus habet ,  
quàm meritus sit , non habet , quod  
queratur , Tu verò nec filigineum  
panem , aquámque frigidam mere-  
ris , quod etiam Sancti de se sense-  
runt ac professi sunt : siquidem & ita  
se rei veritas habet . Tu igitur , quæ  
tam improba , deses , fastidiosa ,  
garrula , omnis devotionis expers ,  
inconstans , atque DEO ingrata es ,  
nec panem ipsum & aquam mereris .  
Quod cùm ita sit , & tamen nihilo-  
minus bonum panem , bonum vi-  
nuin ,

num, obsonia, cibumque habeas,  
quid est, quod queraris, quando  
plus habes, quam digna sis? Eun-  
dem in modum respondeas illi, dum  
ob vestes & calceos murmurat. Atq;  
eadem satisfactione utere etiam ad-  
versus Concupiscentiam oculorum,  
dum haec atque illa habere appetit,  
dicasque illi: O te miserum! qui  
nec minima vita hujus bona mere-  
ris; & tamen habes affatim libro-  
rum, ex quibus, modo velis, possis  
probus ac integer effici, licet alio-  
qui vel unus sufficiat codex: atque  
insuper habes libros orarios, & alios  
perplures. Quid præterea requiris?  
En! hoc ipsum, quod sub specie ne-  
cessitudinis appetis, superfluum est  
ac singulare, & voto paupertatis spi-  
ritus contrarium. Et licet non peni-  
tius violet & frangat, attamen vir-  
tutis meritum debilitat ac imminuit.  
Atque hoc ipsum ei, qui se Christi  
J E S U pauperem profitetur, in-  
gens probrum ac ignominiam ad-

du-

ducit, minori scilicet virtute esse  
præditum, quām fuerint Ethnici,  
cultores dæmonum, in quibus Se-  
neca egregius dux ac signifer præcla-  
ræ ac memorabilis paupertatis fuit,  
uti ejus gesta testantur. Hæc eadem  
etiam tertiae virginis, puta Superbiæ  
vitæ, respondere soleo, ubi ea ad  
me venit, honorari, atmari, ali-  
quo in numero haberi, præterri,  
officiis affici cupiens. Aio namque  
illi: Misera, plus honoris adeptæ  
es, quām digna sis, modò id pos-  
ses agnosceré. Anne cum damnatis  
in profundum tartarorum relegari  
merita es? Et tamen vide quid ho-  
noris consecuta sis à D E O, dum te  
non solùm inter creaturas suas tole-  
rat, sed & in suam domum & fa-  
mulum admisit, voluitque te inter  
famulas & domesticas, imò inter fi-  
llias suas numerari. Et licet digna  
non sis, quæ vel inter ancillas ejus  
numereris, tamen in Cubiculariam  
suam te adscivit, vultque te noctes

at-

atque dies tecum esse, cum ipso colloqui, ipsum laudare, ipsum benedicere, atque etiam, ut in hac mortali vita Angelico fungaris officio, ejusque specialis amica sis, ejus mentem assideas, eodem quo & ipse, cibo vescaris. Et quid superba vis amplius? Quò moliris scandere? Visne rursum ascendere eò, unde cecidisti, uti tantum demergaris in profunda infernum, quantum ipse Lucifer pater tuus? Quid tibi vis ultrà? Visne D E U S esse? Nihil sanè misera, deest tibi. Aperi occæcatos obtutus, & agnosce tandem plura tibi suppetere, quām pro meritis ac dignitate tua. Sufficient ea tibi, quæ præstat tibi D E U S, contentaque esto eo gradu & conditio-  
ne, quam per servos suos tibi assignavit: certūmque habe, nihil fieri absque ordinatione Di-  
vina.

Qui-

*Quibus rationibus cætera  
virgines improbae superande  
sint.*

## CAPUT XII.

**I**Am ubi tres istæ præcipuæ debellatæ sunt, facilè nutrix earum, puta Negligentia, superatur: quæ quidem in has ædes per mille foramina irrepit. Nonnunquam ad preces matutinas, aliàs ad labores subintrat. Sed hoc à me semper responsum accipit: Soror mea, non ea sententia jumentum in ædibus servatur, ut vacet ocio, vivatque molliiter, delicate edat & bibat, & somno indulgeat: sed ut noctes atque dies summo studio hilariter, alacriterque laboret. Nisi enim laboribus, jejuniis, vigiliis edometur, facile insolescit, erigitque sese & calcitat adversum dominum suum. Qui cùm advertit, quodam illud torpore

pore ac inertia contrahi , calcaribus illud urget. Ita & mihi DEI Amor calcar admovit , nempe Timorem , quo me extimulat. Atque adeò ipsa ego , quæ hujus Castri famula & miserrimum mancipium sum , abundè perspectum habeo , servas non nisi ad labores adhiberi , neque quemquam eas miserari , neque levare eis onera , sed nec delicate reficere debere , ne efferantur animo , atque calcitrare incipient. Nemo enim mortalium pejor est improbo captivo. Deinde etiam percontari soleo , puténe regna cælorum edendo , portando , diu stertendo , & dissolutè ac molliter pro suo arbitratu vivendo , posse obtineri? Non potest id quidem affirmare. Nam ipsum caput nostrum Dominus J E S U S hâc non perrexit viâ. Quòd si is ad obtainendam beatitudinem hanc noluit amplecti viam , sed oportuit eum pati , atque ita intrare in gloriam suam , & nos itidem , si eandem velimus adipi-

D      Ici

Sci gloriam, crucis, perpessionis &  
paupertatis calcemus iter necesse est.  
Enimverò dum pes aliò nititur, atque  
aliò caput, nunquam corpus aduna-  
ri poterit. Itaque nisi perpessionis,  
afflictionis, laboris, contemptū  
teneamus iter, neutiquam illi in-  
corporabimur: sed ut membra pu-  
trida præcidemur, atque in flammis  
tartareas demergemur. Nisi, in-  
quam, Christi crucifixi socij simus,  
cumque in cruce quæramus, eiique  
compatiamur, utique nec gloria &  
resurrectionis ejus participes erimus.  
Nisi denique Christum JESUM fla-  
gellis casum, consputum, despe-  
ctum, laboribus ac fatigationibus  
confectum, inopein, fame ae siti la-  
borantem, & mortis supplicium  
periferentem, ac latronis instar &  
scelerati cuiusquam crutifixum, cum  
tamen omnis esset culpæ ac maculæ  
expers, adeoque innocentissimus,  
per tentationes in carne nostra non-  
crimus experti: minimè sanè eun-  
dem

dem ipsum dulcem, amicabilem,  
blandum, Regem gloriæ, & Prin-  
cipem pacis sentiemus. Interdum  
impura isthæc virgo, Negligentiam  
loquor, in Oratorium irrepit, ibiq;  
defessa magno tædio, dolore & tor-  
pore laborat, perinde ac si in carce-  
rem conjecta sit. Tumque aio illi:  
Soror mea, vera religio nihil mo-  
lestiæ, nihil tædij sentit. Quæ re-  
sponsio non parùm mihi conferre so-  
let, quemadmodum & isthæc altera:  
Quid retribuam Domino pro omni-  
bus, quæ retribuit mihi? Quid vel  
agere vel perpeti potero, quo dul-  
cissimo JESU meo vicem rependam?  
qui nimirum ex immenso amore  
propensaque voluntate perseveravit  
in cruce, non sedens, neque pro  
suo arbitrio & desiderio, ut ego, sed  
in ea distentus: neque indutus ve-  
stibus, sed planè nudus, & præ fri-  
gore totus tremebundus: non oper-  
tus tecto, quemadmodum ego, sed  
sub dio: non liber & expeditus, mu-

D 2 nī-

nitusque pedes foccis vel soleis , neq;  
sculponeatus , sed immanibus , cras-  
sis , frigidis , ferreis confixus clavis :  
atque hæc omnia meâ causâ perpe-  
sus. Cur igitur etiam ipsa illius  
causa , si non omnia , saltem quid-  
piam ferre nolim ? Ille scilicet tantâ  
animi ac voluntatis promptitudine  
mea causa non unam horam , neque  
diem aut noctem unam , sed annos  
tres & triginta vitæ hujus ingentem  
miseriam atque molestiam perpe-  
sus est : tribus horis in cruce maximis  
in doloribus , tormentis , cruciati-  
bus , cuiusmodi nemo unquam sen-  
sit , vivus persttit : & tamen parum  
hæc illi videbantur , ob inestabilem ,  
quo me complectebatur , amorem  
ac benevolentiam : libenterque plu-  
ra pertulisset , si ita poposcisset ne-  
cessitas. Cùm ergo ipse rex sit , ego  
vilissima ancilla : ipse DEus , ego  
latum , pulvis & putredo : ipse san-  
ctus & innocens , & ego grandis pec-  
atrix , omniisque supplicio digna : &

ta-

tamen tanta propter me facere & perpeti dignatus est, ergo saltem parum aliquid illius causâ non faciam? Num servus major est Domino suo? Ergo nunc apage te hinc soror Negligentia. In iis enim, quæ patris mei sunt, oportet me esse. Non magnum est nos hîc esse, si non absque tædio & mœstitia hîc simus. Atque etiam sine iis hîc esse, perexiguum est, nisi cum bona voluntate & spirituali gaudio conjunctum sit. Maledictus enim, qui facit opus DEI negligenter. Non enim peti coacta & extorta servitia ac sacrificia, sed quæ ex hilari ac libenti voluntate & corde, rectoque ac sincero animo proficiscantur. Hâc porrò vetulæ execribili ita demum profligatâ, cæteras ancillas planè fatuas, ut expugnemus, oportet. Quæ quantò sunt deteriores ac nequiores, tantò motus earum vehementiores ac actiores sunt: quantóque minus extinctæ si-  
ye edomitæ vel mortificatæ sunt, tan-

D 3      tò

tò ægriùs corriguntur. Ex his pri-  
ma, cuius vocabulum est Malitia,  
dum ad me venit unà cum filia sua  
Iracundia, me invadere cupiens,  
hoc pæsto illi respondeo: Charitas  
patiens est, benigna est: & cum Pro-  
posito meo, id est, marito meo,  
eam pessum premo, dicens illi: So-  
ror mea, iumento huic nihil accide-  
re potest, neque tanta vel verbis,  
vel factis irrogari queunt, quin plu-  
ra mereatur. Si ergo plus mali eme-  
rita sum, planè parcitur mihi, dum  
non tot affiçior malis ac molestiis,  
quot ipsa digna sum. Decet nimi-  
rum iumentum domesticum, domi-  
no suo, aut filiabus ejus & familiz  
non molestum, protervum aut tu-  
midum, sed quietum, modestum,  
ac mansuetum se præbere. Nam  
etiamsi hodie flagellis cædatur à do-  
mino, attamen die crastina commo-  
dum ei præstabit pabulum, ipsumq;  
bene habebit. Et licet nullum in  
ipsum declaret amorem, ex animo

ca-

tamen diligit : sed ne insolescat , aut  
sibi præfidat , amorem suum interim  
dissimulat . Jumentum quoque do-  
loris ac molestiæ ipsi irrogatæ , facilè  
obliviscitur , dominoque suo capit is  
aut colli applicatione blanditur . Sic  
planè etiam ipsa , si quid molestiæ à  
virginibus nostris perpessa ero , cùm  
earum sim mancipium , & vilis an-  
cilla , ob Amorem DEI feram equi-  
dem ac lubens , ut pro suo arbitratu  
mecum agant : certa nimirum , tot  
me ex eis mala accipere & perpeti  
non posse , quot commeruerim :  
Dominumque meum propter pecca-  
ta mea , ut ab eis affligar , permit-  
tere , quò me in hac vita purgatam  
efficiat , atque etiam ut suâ causâ di-  
scam adversa pati . En ea virgo ,  
quam tu malè mihi cupere , ea quo-  
que , quam clanculum de me maledicere , itemque illæ , quibus me pror-  
sus invisam ais , non necam odio ha-  
bent animam , sed vitia , culpas , de-  
fectus , malitiam , pravos mores &

D 4      pro-

propriam voluntatem meam. Unde mihi merito amore prosequenda veniunt. Siquidem optimo sanctoque fervent proposito ac instituto, ingentique zelo, nec quidquam eis cum Malitia consensionis aucta commercij est: neque eam putant cum virtute commorari posse. Agè igitur rem proprius inspiciamus: siquidem DEI ancilla sum, jure mihi sorores, immunditia, culpæ, defectus, pravæque propensiones meæ odio habendæ sunt. Cur igitur illis malè velim, quæ id agunt, quod mihi facere incumbit? Vis finem faciam, teque hinc repellam? Noveris, eas, quæ mihi obloquuntur ac detrectant, aut mala inferunt, nihilominus sorores meas esse. Quòd si sorores meæ sunt, jubeor eas diligere, neutiquam odisse. Hac igitur ex causa, faciam, quod iussa sum. Interim tamen ipsæ viderint, quo confilio, quâve intentione me affligant. Ubi verò aliam secum ad-

du-

ducit ancillam , puta Invidentiam ,  
quæ gladio utitur ancipiti , dum so-  
rorum tam corporalibus , quæm spi-  
ritalibus torquetur bonis ac virtuti-  
bus : estque reverè pernicioſa & pe-  
ſtilens admodūm , quippe quæ ex  
proximi rebus bonis & secundis pe-  
rit ac moritur , malis verò lœtatur  
ac reviviscit : hanc ergo dum ſibi  
comitem adjungit , aio ad illam : tu  
quidem ſoror affirmas , alias in hoc  
mundo majores opes , insignio-  
rem pulchritudinem , aliaque natu-  
ræ dona copioſius , atque ego ſim ,  
effe consecutas . Atqui hoc ipſo ,  
quod talibus careo , lœtor : meque  
feliciorem puto . Neque enim vel  
in hac , vel futura vita quidquam ex-  
tra J E S V M meum peto . Is meus  
& omnium Angelorum theſaurus  
eft : Is meus & omnium creaturearum  
decor & pulchritudo eft : Is denique  
meum lucrum eft , & fons totius bo-  
ni . Amer cætera cuicunque liber ,  
quantum ad me attinet , equidem

D 5      ni-

nihil nisi dulcissimum J E S U M  
meum, ejusque amorem expeto.  
Apud eum nulla est divitis aut ino-  
pis, nulla formosi aut deformis dif-  
ferentia: sed animi humilitatem re-  
spicit. Et tamen tu h̄ic mihi com-  
memoras, alias his atque illis abun-  
dere bonis, eisque non mihi, hac  
atque illa pr̄estari. Contrà verò ego  
aio: Tametsi his illæ omnibus afflu-  
unt, atqui plus ipsa habeo. Si-  
quidem ita generoso, magno ac  
pr̄stanti sum animo, ut amore  
meū hujusmodi tam vilibus, abjectis,  
caducis rebus, ut sunt bona tempo-  
raria, adhiberi & irretiri indignum  
putem. Et quia Humilitatis mihi in-  
ditum est vocabulum, humilitate te  
vincam. Sentio igitur ancillas & fi-  
lias D E I isthæc jam dicta, pluraque  
alia, jure meritoque habere: me  
verò minimè, quæ serva sum & man-  
cipium, hisque omnino indigna.  
His auditis, mox aliò se vertit, nem-  
pe ad Invidentiam donorum spirita-  
li.

lum, quibus præditas novit sc̄t̄ores meas: quæ ita suggestit animo: En illa, quām tu sis, pietati addic̄tior sive devotior est & quietior, plusque orat D E U M , magisque intrō recepta est, & contemplandi peritior, majorique sobrietate conspicua. Cui respondeo : Agè ex xquo & bono statuamus. Quamobrem multò esse religiosior, aut gratiam orandi, cæterasque virtutes appeto? Eone, ut me alij meliorem putent, me suspiciant, me laudibus celebrent, me venerentur? Aut eò potius, ut lau- tior cibus, cultiores vestes, aut aliæ res temporariæ mihi præbeantur? Minimè sanè: sed eò duntaxat, ut D E O serviam, D E O que placeam: atque ut dulcis J E S U S meus ex me & in me laudetur, & gratiarum actione afficiatur. Meritò ergo sum moperè gaudere me convenit, dum amantissimum Dominum meum tales & famulas & amicas habere conspicio, quæ ita sint pietati deditæ,

D 6 tan-

tantaque præditæ vitæ sanctimonia,  
atque eum pio cordis amore prosequantur. Adeoque potius mihi obsecrandus est D E U S , ut pluribus  
eas donis, uberiorique gratia augeat & cumulet, quò possit ab eis majori laude ac honore affici. Agè, si  
vel tenuis in me erga Dominum  
D E U M meum ineslet amor, nónne  
cumprimis optandum mihi foret, ut  
abs toto agnoscatur, ametur, ho-  
noretur Mundo, gratiamque singu-  
lis, quâ id præstare queant, cum  
cæteris donis spiritualibus largiatur?  
Itaque recede è conspectu meo male-  
dicta & execrabilis. Nescis planè,  
quid sit Amor: quandoquidem im-  
probi illius, ingrati, perfidiosi apo-  
statæ ac desertoris filia es. Equi-  
dem vellem D E U M ac Dominum  
meum cunctis me tum corporalibus,  
tum spiritualibus mihi ab ipso colla-  
tis nudare donis, eaque conferre  
aliis, qui illis ipsis majori eum ho-  
nore ac amore prosequerentur, atq;  
ipsa,

ipsa, quā terram sine ullo fructu occupo, ejusque gratiam inaniter & in vacuum recepi. Nihil enim nisi honorem & laudem Domini mei appeto, idque licet maximo mihi constare debeat, vehementer desidero. Vide jam, quām miserè sis decepta. Anne cernis, quām probè nōrit DEUS, quid agat? Bene utique perspectum habet, isthac vascula, quibus sua infundit dona, puriora humilioraque esse. Itaque ea ex causa mihi hujuscemodi non præsttit gratiam, quod me impurum, putidum, superbum, irā ac malitiā plenum vas esse non sit nescius, quodq; ex animi elatione mox in ipsum scandere cælum velit. Unde etiam satis voluntate Domini nostri J E S U CHRISTI, non aliqua alia re, contenta sum, nec quidquam præterea appeto.



*Qui-*

*Quibus modis malitia omnis  
prorsus profliganda sit.*

## CAPUT XIII.

**T**ertia Malitiæ filia, Acediæ nomen habet, quæ reverè pessima est, quando ad res spiritales, eaque, quæ ad D E U M pertinent, in quibus tota salutis nostræ summa consistit, maximè friget & nauseat. Huic ita solita sum dicere : Velles quidem soror, ne modò ad obsecrandum D E U M, aut alia peragenda exercitia spiritalia pergerem. Atqui hoc solo nomine, quo te elidam ac superem, jam majorem etiam orationi, vigiliis, Missarum auscultationi, ac devotæ contemplationi návabo operam. Quod ubi illa cernit, sic mihi loquitur : Vidésne jam quodam te constrictam frigore, nullamque sentire devotionem, contraquæ mentem & animi tui sententiam te pre-

precaturam, quod iram potius D E I  
provocare solet: nec aliud est, quām  
tentare D E U M, qui non coacta,  
neque ex tristi vel invito, sed hilari  
ac voluntario profecta corde servitia  
expetit? Quibus ita respondeo:  
Abi hinc soror, capio quid velis;  
noveris, me id temporis majorem er-  
ga DEUM declarare amicitiam, dum  
propriis illi sumptibus milito, quām  
ubi ingenti me devotione afficit.  
An ignoras subinde D E U M gra-  
tiam & dulcedinem suam idecirco re-  
trahere, ut vires exploret nostras?  
Cumque virium nostrorum faculta-  
tem sibi nos offerre atque impende-  
re, quodque in nobis est, facere  
conspicit, per gratiam suam etiam  
duplo majorem infundere consola-  
tionem; ita tamen, si interna sensi-  
bili destituti gratia, bonam volun-  
tatem, rectamque rationem & desi-  
derium non abjiciamus? Quod igitur  
percontaris, cur tam frigida &  
devotionis expers ad orandum me.

con-

conferam, quando (ut ipsa ait) id  
est tentare DEUM, certum habeas,  
etiamsi multò frigidior, minusque  
devota forem, me nihilo taciūs ora-  
tum abituram, atque in Domini mei  
conspectu permansuram, nec dictu-  
ram illi aliquid, nec quidquam ab  
ipso expetituram, sed tantum coram  
ipso assistendo, honorem ac rever-  
tentiam illi habituram, cogitando  
eum illic præsentem adesse, meoque  
contemplari, atque coram præcelsa,  
tremenda, Divina illius Majestate  
me assistere. Ipse verò, cùm sit amo-  
ris ignis, ubi visum illi erit, cor-  
meum facilè inflammabit. Quare  
meam illi voluntatem penitus per-  
mittam, ejusque voluntate contenta  
ero. Deinde, quantò me frigidio-  
rem, infirmiorem, imbecilliorem,  
minusque devotam sentio, tanto ad  
ignem magis accedendum mihi est.  
Nam si inde abscedere velim, id qui-  
dem deterius erit, quandoquidem  
majus me frigus occupabit. Itaque  
fu-

fuge misera. Enim verò preces, de-  
voias contemplationes , cæteraque  
spiritalia exercitia non ob mei con-  
solationem , aut dulcedinem , gu-  
stumque capiendum expeto, aut assu-  
mo , vel magnipendo , sed eo dun-  
taxat nomine , ut serviam D E O ac  
Domino meo , quando voluntatem  
illius eam esse non ambigo , ut ita  
faciam , ad ejusque honorem & lau-  
dem cunctis in virtutibus , omniq;  
sanctimonia me exerceam. Iibi  
igitur improba isthæc virgo hisce ra-  
tionibus & adminiculis me ab amo-  
re Domini mei abducere ac abstrahe-  
re se non posse animadvertisit , verso  
folio , à consodalium mearum dile-  
ctione revocare & avellere me cona-  
tur : moxque aliis duabus sibi adjun-  
ctis novitiis , quarum suprà memi-  
nimus , puta Suspitione & Temera-  
rio Judicio , me aggreditur , atque  
ut sorores meas sive sodales animo  
despiciam , ac malè de illis sentiam ,  
nihil non eorum mihi ingerit , unde  
vel

vel malè suspicari, vel temerè judicare queam. Ex his autem sequitur murmuratio, contemptus, & obtrectatio. Atqui evestigio ipsa cum sancto Proposito meo advigilans, hoc illi responsi dare soleo: Non decet vilissimam ancillam sive mendicantem, de hinc virginibus & dominabus suis malè suspicari: neque peccatores æquum est attrectare sancta, neque bestiæ montem sanctum contingere licet. Cæteras quidem virgines omnes pro bonis & sanctis, me verò improbam & peccatis obnoxiam habere convenit: siquidem exploratum non habeo, cuius inodi sit una quælibet coram Deo, aut quo fine diem sit clausura extremum. Me verò utcunque novi, nec me fugit, quo me appetitionum vel affectuum, itemque malitiæ ac propensionis meæ malæ pedes abducant, nempe ad Tartara, nisi me divina misericordia suâ ope servet ac tueatur. Satis igitur supérque habeo,  
quod

quod de me ipsa verear ac suspicor,  
obseruemque & explorem, num co-  
gitationes, verba & conscientia mea  
bona sint: siquidem me novi, cæ-  
teras nescio. Quod igitur ad soda-  
les meas attinet, eligam id, quod  
tutius est, id est, optimè de illis opi-  
nabor ac sentiam, certa nimirum,  
hac re nullam me jacturam, immò  
verò etiam lucrum facere posse. Ma-  
gni verò periculi est, tuo obtempe-  
rare consilio, atque certum pro in-  
certo dimittere. Charitas malum  
non cogitat. Evidem sat negotij  
habeo, meam ut conscientiam, co-  
gitationes, facta & affectus judicem  
atque discernam: & his me potius  
intentam esse oportet: non autem  
sinistrè de aliis suspicari. Quis enim  
inter DEUM & sodales meas, aut  
inter ipsis & earum conscientias me  
judicem constituit? Nemo sanè. Igi-  
tur apage te hinc. Est enim qui quæ-  
rat & judicet. Quid habes præterea  
quod proferas? Jam planè victa es,

quod

quod ad iniquas attinet suspiciones tuas , quæ reverè res diabolica ac impiæ , sanctæque simplicitati , cuius habitator est D E U S , cum quo nemo labi potest , prorsus adversæ sunt . Quòd si quis affirmare velit , suspiciones in Prælati aut Superioris animum posse admitti , jamque dictum remedium contra id non sufficere , is pro certo habebit , magna prudenteria , multaque solertia ac ratione pervigili hac in parte eos habere opus , ac uti debere : idque hac ex causa , quòd , uti quotidiana probat experientia , si quis de sua conjugi male suspicetur , eaque id comperiat , etiam si antea honestissima ac integrissima fuerit , ad omnem sese improbitatem ac infidelitatem transferre consueverit . Unde Seneca : Suspicio , ait , multos peccare fecit . Cùm igitur in his superata sis , quam obrem ais facta vel opera earum mala esse , cùm bona fortassis sit mens & intentio : aut incogitato , seu impru-

## C A P U T X I I I . 91

prudenter, vel ex ignorantia, aut humana fragilitate, aut primo motu, aut aliquo defectu vel vitio naturali facta forte sint? Atque in iis omnibus nullum certè odium, aut stolidum est adhibendum judicium, sed magis excusanda sunt & ferenda, atque ob amorem DEI condolentia ac commiseratio impendenda. Quod si nec ita me agere finis, quod fortassis aperta sint mala, jam respondeo, occulto DEI judicio permisum, ut fierent: cuius quidem providentia, cuncta, etiam nostrum excedentia captum, disponuntur ac diriguntur. Ut igitur ex sua parte nunquam desinit in nobis bonum operari, ita etiam ejusmodi mala fieri aliquando sinit, quæ tamen vel in illius, qui lapsus est, vel aliorum id cernentium, bonum utilitatemq; convertit. Cave jam quidquam hinc amplius loquaris. Qui enim alios judicare instituit, is quod DEI est, sibi usurpat, vel ipse DEUS.

esse

esse molitur. Atqui cernas misera,  
quid patri acciderit tuo , quando  
DEO similis esse voluit. Prætereà  
Jumentum non cā malitiā est pra di-  
tum , ut de aliis gregalibus jumentis  
sinistras admittat suspicione s , aut  
eorum facta judicet, sed in ea dun-  
taxat cogitatione versatur , ut suo  
gradiatur itinere , suum ferat onus:  
neque curæ est illi , utrum aliquod  
**ex** sociis jumentis alicubi hæreat , aut  
**erret** ex itinere , sed ea tantum, quæ  
jam præcesserint , subsequi , atque  
etiam sancta quadam æmulatione  
antervertere ac prævenire appetit:  
quod si non possit , suo pergit gradu,  
nihil interim nisi se attendens: ne-  
que etiam retrocedit, neque quie-  
scit , nisi pauxillum . quò possit ala-  
crius progreedi , neque murmurat,  
neque vel hero suo , vel aliis oblo-  
quitur aut detrahit. Quando igitur  
ipsa me jumentum feci, amore DEI,  
Jumenti instar me geram, oportet,  
nihil nisi me solam attendens.

De

De cæteris Humilitatis  
Exercitijs.

C A P U T X I V .

D E S I D E R I U S H U M I L I T A T I S E X E R C I T I A  
secum admirans, ait ad eam :  
D E S I D . Jam planè certus sum, Do-  
mina Mater , quod alias audivi , sed  
necdum expertus eram , Humilita-  
tem in sese omnem justitiam , virtu-  
tem , pacem , quietem , spiritalem  
ac temporariam consolationem , con-  
tinere . Obsecro tamen , dubium  
quoddam , quod interim mihi hac  
in parte incidit , dissolvere ne gra-  
veris : id videlicet , anne improbas  
haïce virgines , dum huc ingredi-  
untur , probè semper cognitas ha-  
beas , atque utrùm sese aliis admi-  
scant , eodemque habitu , quo tuæ  
virgines , sese contegant : quîve  
eas tum nôsse queas ? H U M I L . Ma-  
gni sanè momenhi isthæc quæstio est ,  
fili

fili charissime. Noveris itaque, Di-  
vinam bonitatem in medio cubiculi  
lampadem suspendisse, vocabulo Bo-  
nam Conscientiam, eamque noctes  
atque dies oleo Misericordiae ejus &  
sacrae Scripturæ Ellychnio incensam  
ardere. Porro lampas ista resti qua-  
dam, nomine, Cordis Custodia,  
ad clavum quendam, dictum Cu-  
stodiam sensuum, alligata est. Quam-  
diu autem Lampas eadem ardet & in-  
censa est, nihil eas formidamus,  
quippe quas actutum agnoscimus.  
Et licet probis sese admisceant virgi-  
nibus, earumque vestibus se indu-  
ant, tamen ex incessu eas deprehen-  
dimus. Enimvero humeris incur-  
væ sunt, & gressibus claudicant ac  
vacillant, gibbumque gerunt, ita  
ut neque celeriter, neque pro suo  
voto rectè ingredi queant. At vero,  
mi fili, dum lampas hæc nostris vitiis  
extinguitur, aut nostra incuria cla-  
vus excidit, vel restis rumpitur, vel  
**Dominus noster** oleum subtrahit,

(quod

(quod quidem nunquam facit, nisi  
nos id prius effundamus) jam ma-  
nemus in tenebris, cunctaque no-  
bis male cedunt. Atque eam ob-  
tem perpetuo Dominum obsecra-  
mus, ut lucernam nostram illumi-  
net, dicentes cum Propheta David:  
Quoniam tu illuminas lucernam  
meam Domine: DEUS meus, illu-  
mina tenebras meas. DESID. Gra-  
tiam & charitatem suam praestet tibi  
DEUS, quandoquidem spiritum  
meum consolata es. HUMIL. Has  
tibi virgines comites adjunge, ut  
initio tecum eant, donec vero timo-  
re propè induitus ac imbutus sis, ut,  
si improbae virgines illæ tibi forte  
obviām venerint, odium ac invidi-  
am in te suam declarare non ausint,  
neque ex nostris manibus eripere te  
moliantur. En habes hic Severita-  
tem adversus primam, Carnis Con-  
cupiscentiam: Strenuitatem con-  
tra alteram, Concupiscentiam ocu-  
lorum: Humilitatem adversum

E ter-

tertiam, Vitæ Superbiām : Diligentiam contra quartam, Ineuriām vel Negligentiam : Benignitatem sive Bonitatēm adversūs quintam, videlicet Malitiām. Gratia DEI sit tecum.

*De virtutibus, jam dictis  
Humilitatis filiabus.*

## CAPUT XV.

**H**UMIL. Hac videlicet ratione, omnipotentis DEI gratiā, & antedicti conjugis mei freta auxilio, inimicas meas atque adeò meipsum supero. Desiderius hujuscemodi sermonibus affatim recreatus, ait ad illam: DESID. Quæso, Domina Mater, cum bona venia tua liceat mihi virginēs invisere, atque intrare familiaritatem. HUMIL. Agè verò, eas, fili, divina munītus benedictione : equidem ac h̄bens

bens hujus rei potestatem tibi facio.  
 Tu interim Domūs hujus Procuratrix , illum comitare per totas has  
 aedes , atque in cunctarum domicilia  
 vel cubicula Virginum eum deduci-  
 to. His dictis , Desiderius animo  
 latus , ex Dominæ sive Superioris  
 cubiculo cum jam dicta virgine , cu-  
 jus vocabulum est Nihilipensio , quæ  
 Domūs Procuratrix & Novitarum  
 Magistra erat , abscessit , ductusque  
 est ab eadem in cubiculum virginis  
 cuiusdam , quæ Humilitatis prima  
 & senior filia erat , nempe Confes-  
 sionis. A qua perbenignè exceptus ,  
 ubi apud eam resedit , ait illi : DESID.  
 Obsecro , soror mea , vitam & con-  
 ditiones tuas mihi edissere. CONF.  
 Dicam , filia sum Humilitatis , atq;  
 optimæ hujus Procuratricis discipu-  
 la , cui me frequenter adjungo ,  
 ejusque delector societate & confue-  
 tudine , ex animo agnoscens & con-  
 fitens quænam sim , talem videlicet ,  
 qualem ipsa me agnosco & tentio.

E 2      De-

Desiderius primam hanc virginem  
haud vulgaris comperit esse virtutis,  
eo quod simulationem & vanam glo-  
riam haberet exosam, sicque ab ea  
recessit. Mox à Procuratrice ductus  
est in cubiculum alterius filiae Humi-  
litatis, cuius vocabulum est, Appen-  
titio contemptus. Quæ itidem fa-  
miliariter eum excipiens, jussit se-  
cum residere, dixitque ei Desideri-  
us: Precor, mea soror, nomen, vi-  
tam, & conditionem tuam mihi si-  
gnifiques. VIRGO: Nomen mihi  
est Appetitio contemptus, nihili-  
pensionis, abjectionis, & à nem-  
ine velle honorari aut alicujus pensi  
haberi. Mirabatur impensè Desi-  
derius, audiens hanc virginem usq;  
ad eo sui contemptum desiderare,  
quando id ab hominum usu & con-  
suetudine prorsus abhorret. Sen-  
tiebat autem virginem eam esse vir-  
tutis eximiæ, eo quod ob Amorem  
DEI id appeteret. Itaque illi vale-  
faciens, à Procuratrice in tertiacæ Hu-  
mili-

militaris filiæ cubiculum introductus est, cuius erat vocabulum, LÆTOR DUM DESPICTOR, sive GAUDEO CONTEMNI. Quæ similiter hilari animo eum suscepit, eiique cùm assedisset, sic eam affatus est: DESID. Precor, charissima virgo, de nomine, vita, conditione tua certior rem me reddas. VIRG. Evidem me contemni, premi, derideri, ac nihilipendi lætor, idque ob Amorem DEI. Stupens Desiderius hujus virtutem virginis, ait illi: DESID. Dic mihi, oro te, soror, quibus modis virtutem hanc tuam adipisci potero. Siquidem hujus planè diversum in me sentio. Dum enim male tractor, despicio, vilipendor aut vituperor, non solum non gaudeo, sed tristor etiam, atque perturbor. VIRG. Hujus ratio est, quod humilitatis expers es, quæ id habet, ut sese quis nihilipendat, ac ob Amorem DEI contemnat, & ducat pro nihilo, signumque hoc evi-

E 3      dens

dens est, privato amore, magnaq;  
superbiâ, & ingenti tui existimatione  
plenum te esse. Attamen quando  
in has ædes à DEO adductus es, vir-  
tutes omnes hîc te docebimus, ve-  
terique hac pelle abstractâ, novum  
ac planè alium, quâm sis modò, ho-  
minem te efficiemus, atque ut cum  
DEI Amore colloqui possis, tete  
præparabimus: nam alioqui oleum  
ac operam perdideris. Itaque si vir-  
tutem optas adipisci meam, necesse  
est, hanc meam sororem, nempe Ap-  
petitionem Contemptûs, quam an-  
tè vidisti, cordi tuo tenaciter impri-  
mas, s̄epiùs ita cogitando, tecumq;  
statuendo: Deinceps contemni vo-  
lo, atque etiam desiderare vilipendi,  
derideri, contumeliâ affici, duci  
pro nihilo. Hoc in corde tuo fixo  
desiderio, deinde oratione, studio,  
labore, non quidem repente, sed  
fensim, virtutem meam assèquēris.  
Et licet initio adversus sensitivam  
portionem sive sensualitatem collu-

ctan-

enob

et d

stanto , laboris ac molestia pluri-  
mum sis toleraturus , attamen per-  
severantiâ victor evades : adeò , ut  
quoties dictum factumve quippiam  
tibi erit , quod noles , gavisurus sis.  
Atqui vim quandam inferas tibi  
oportet , ut ignominiam , contem-  
ptum , ludibria appetas. Certum  
est enim , neminem , nisi qui justus  
sit , humilem esse , & quisquis de-  
spici , irrideri , vilipendi , contu-  
meliâ affici & abjici non desiderat ,  
eum minimè justum esse. D E S I D .  
Miror sanè , quod ais , eum inju-  
stum esse , qui cuncta hæc non appe-  
tat. Qui verò id esse potest ? Ita-  
namq; paucos invenies justos , pror-  
susque à vero tua mihi dicta abhor-  
rere videntur. V I R G . Facile di-  
ctorum meorum rationem tibi ex-  
plicero. In confessio est , eum ju-  
stum esse , qui jus suum cuique tri-  
bui velit. Si igitur nihil homini ,  
nisi contemptus , irrisio , contume-  
lia debetur , injustus planè est , si

E 4      hæc

hæc ipsa non petat. DESID. Velim ista confirmes, planaque efficias, nihil scilicet homini præter contemptum ac ignominiam deberi. VIRG. Faciam id haud ingratis. Extra controversiam est, bonum omne meritò amari, honorari, expeti, inquiri, laudibus vehi debere, idq; eò amplius, quò majus ac præstantius est: atque è diverso, malum omne ineritò nos odiſſe, despicer, respuere, persequi, ac pessum premere debere. Jam si verum est, unumquemlibet hominem malum esse, consequens fit, jure eum contemnendum, & odio ac derisui habendum esse. DESID. Doceas, oro, nullum non hominem malum esse. VIRG. Libens tibi morem geram. Solus DEUS bonus est, ergo omnis homo malus est. DESID. Evidem huic illationi vel consequentiæ non assentior. VIRG. Dialectici hac Ratiocinatione eam tibi probabunt: Nemo bonus nisi DEUS: Ergo quid-

quidquid DEus non est, non potest esse bonum, sed est malum: si autem homo malus est, jure illi omnis ignominia, probra, contumelia, contemptusque debetur.

*Ut Creaturæ omnes bona  
sint, & tamen nemo bonus  
sit, nisi D E U S.*

## C A P U T X V I .

D E S I D . Nimirum hisce rationibus tuis mihi needum satis factum est, dum ait, solum DEum esse bonum, & quod DEus non est, id bonum non esse. Tamen scripta Divina testantur, vidisse DEum cuncta, quæ fecerat, & non solum bona, sed etiam valde bona fuisse. Deinde cum sit DEus bonus, (ut est revera summum bonum, atq; rerum creatarum omnium causa efficiens, fons & origo) bona quoque

E 5      sint

sint oportet cuncta , quæ fecit , uti  
opus vel effectus suæ causæ , fonti &  
origini respondeat . Unde sequitur ,  
quæcunque condidit DEus , ea bona  
& optima esse . Porro cum sit Ho-  
mo inter creaturas omnes corporeas  
longè præclarissimus , perspicuum  
fit , non modò bonum , sed etiam  
valde bonum eum esse .. Quod si  
bonus est , ex tua regula id sequitur ,  
honorem , amorem , & cetera  
ejusmodi , illi deberi . VIRG . No-  
lo tecum longiorem disputationem  
ingredi : siquidem id humilitati ad-  
modum repugnat , tantum ea , quæ  
dixi , fusiūs explicabo , quod rectius  
ea capias . Neminem esse bonum ,  
nisi solum DEum , ipsius summæ ve-  
ritatis in Evangelio sententia est . Id  
vero sic intelligendum est , solum  
DEum essentialiter bonum esse , eiq;  
soli id esse proprium , ut sit bonus .  
Quæcunque autem condidit , bona  
sunt præstite illis à D E O bonitatis  
participatione , non autem ex pro-  
pria

pria bonitate. Nam bonitas eorum omnis ex D E O est, non ipsorum propria. Ita ergo dum in creatura bonitatem illam, donaque ingentia ac ineffabilia, divinitus & infusa & communicata aspectas, honorem utique, amorem & cetera ejusmodi, creaturæ debes. Atqui isthæ omnia non in creaturam, sed in D E um ipsum referuntur. Itaque corpus nostrum & creaturæ omnes amandæ nobis sunt, quod in sua essentia bona sunt, utpote DEI creaturæ, quod est D E um amare in ipsis creaturis. Non igitur ex seipso laudari, honorari, charus haberri quispiā appetet, sed ob bonitatem sibi à D E O collatam, id omne in D E um referendo, D E oq; ascribendo. Verum aliud est, quod à D E O, aliud, quod à seipso habet homo. A D E O habet, quidquid boni est in natura sive naturalibus: à seipso vero, quod vitiosum est. Habet à D E O, quod semper illius gerit imaginem: ex seipso autem

E 6      pra-

pravis corruptisque moribus, vita  
ac consuetudine malâ, id habet &  
efficit, ut DEO dissimilis sit. Itemq;  
in moralibus illi à DEO præstatum  
est, ut bonus ac virtutibus prædictus  
esse cupiat: ex seipso verò malum  
appetit, vivitque & agit deterius.  
Hinc ergo discimus, quæ homini  
divinitus collata sunt, ea honore ac  
amore esse prosequenda, nempe  
conditionem & substantiam, bonaq;  
tum naturalia, tum moralia, neque  
sua causa, sed ob honorem DEI  
amari eum oportere. Contrà verò,  
odio habenda esse in eodem, quæ illi-  
us sunt, nempe mala omnia, vitia  
& maculas: ita, ut diverso fine ac in-  
tentione in uno eodemque homine  
alia honoremus, alia despiciamus;  
alia amore, alia odio prosequamur.  
Et quantacunque sanctitate vel pieta-  
te ac devotione prædictus sit, tamen  
certus esse debet, nihil se nisi omne  
malum ex seipso habere, meritoq;  
id appetet, ut ob bonitatem ipsi à  
DEO

D E O collatam , sive sint virtutes ,  
sive dona vel gratia , solus D E U S  
& ametur & honoretur , ipsique uni ,  
ceu totius boni fonti ac origini ,  
omnis honor tribuatur : ob mala  
autem , quæ sua esse novit , ipse  
contemnatur , contumeliâ afficiatur ,  
nihil pendatur , atque apud omnes  
in ridiculo sit . Dum sic agit , jam  
quidem justus est . Cæterum si hoc  
paecto sanctus , pius & justus quilibet ,  
ut dignum est , contemni appetit :  
quanta est hominis peccatis  
ac vitiorum sordibus polluti injustitia ,  
non solum istud non appetere ,  
sed è diverso honore affici , magnaq;  
in existimatione ac veneratione ha-  
beri velle ? Non est igitur , ut pec-  
cator & immundus quispiam grande  
aliquid se fecisse putet , etiamsi ita  
contemni ac vilipendi desideret ; nec  
propterea se se meliorem arbitrabitur ,  
quando etiam sanctus , integer  
& justus hoc ipsum desiderare est ob-  
ligatus .

D e

---

*De eodem Argumento.*

## CAPUT XVII.

Virginis hujus dicta haud medio-  
criter Desiderio arridebant:  
quamobrem ait ad eam: DESIDER.  
Precoꝝ, sotor mea, id me instituas,  
quibus studiis aut adminiculis hoc  
sanctum liceat desiderium adipisci.  
VIRG. Duabus rebus id potest ob-  
tineri: puta Amore DEI, & sancto  
Proposito tete sub cunctis mortali-  
bus ceu vile jumentum submittendi  
ac abjiciendi, cui Superior nostra  
Humilitas nupsit. Quod si dictis  
meis morem gesseris, haud vulgari-  
ter ad hanc meam capessendam vir-  
tutem te senties adjutum. DESID.  
Libenter iis, quæ dictura es, ob-  
temperabo. VIRG. Ita tibi planè  
persuadeas, Amorem DEI, cuius  
te usque adeò cupidum ac amantem  
declarâsti, nullum capitaliorem ac

in-

infestiorē , magisq̄e contrarium  
habere hostem , atque corpus tuum .  
Hanc igitur tibi sume consuetudinē , ut semper manē sic anima tuā  
loquaris : Agedūn , videamus Anima mea , ut hæc die corpus istud improbum , dulcissimo J E S U Domino ac Creatori tuo inimicum , odio sis habitura , appetituraq̄e , ut contemnatur , divexitur , ac affligatur .  
Vesperi autem ita illi dicas : Videamus nunc Anima mea , ut hac die corpus istud improbum , Domino J E S U adversum & rebelle despexeris ac depresso , utque idem ab aliis affligi , contumeliis & probris affici optāris ; itemq̄e ut nihil illi remittere , nihil impunitum dimittere , sed in omnibus severè ipsum persequi conata sis . Hæc si feceris , mi frater , atque in hac cogitatione perpetuò versatus eris , simulq̄e in te desiderium perseveraverit , Domini tui ac Animæ tuæ hostem jugiter persequendi ac profligandi , vēt hoc

hoc unum exercitium ad ingentem  
humilitatis virtutem & perfectio-  
nem, sublimemque gradum tete per-  
ducet: atque inde tui ipsius carnisq;  
tuæ tanto accendêris odio, ut ipse te  
contemni ac vilipendi petas. Porrò  
ubi id evenerit, ut ab aliquo con-  
temnaris, mihi meæque virtuti for-  
titer inhæreas, summoperè gauden-  
do, DEOque laudes ac grates agen-  
do, ita dicas: Benedictus D E U S,  
qui me modò de hoste meo ulciscitur.  
Interea Desiderius ex hujus virginis  
sermonibus non minima est consola-  
tione affectus: cumque illi vale-  
dixisset, à sœpedicta Procuratrice in  
alterius cujusdam virginis, quæ &  
ipsa Humilitatis erat filia, cubicu-  
lum introductus est. Hujus voca-  
bulum Simplicitas erat, quæ per-  
amicè Desiderium accepit. Atque  
ubi sessum se recepere, de D E O  
rebusque Divinis ac spiritualibus col-  
loquia miscere cœperunt. DESID.  
De nomine, virtute, & conditio-  
ne

ne tua, mea soror, certiore me  
facias, oro. SIMPL. Evidem Sim-  
plicitas vocor: officium autem me-  
um & actio est, erga quoslibet sim-  
pliciter, integrè, sincerè, ratio-  
nabiliter, absque illo fuso vel hy-  
pocrisi me gerere, atque de omni-  
bus, quæ vel visu vel auditu perci-  
piam, nihil mali suspicari, sed ita  
habere persuasum, cuncta rectè ac  
sanctè geri: atque ad minus, quan-  
tum quidem ad intentionem attinet,  
de nenie, nisi de me sola, opina-  
ri malum: siquidem meipsam sem-  
per suspectam habeo, meisq[ue] co-  
gitationibus & affectibus perpetim  
invigilo, semper mihi prospiciens,  
dextrumque Sapientiæ vel Pruden-  
tiæ oculum teneis apertum, quò &  
ipsa malum evitem, & Humilitas  
Mater nostra cunctis in virtutibus  
tantò sit valentior ac efficacior.  
DESID. Quid est, quod audio? Non  
erit igitur Humilitas virtute prædita,  
nisi ipsa hunc teneas oculum aper-  
tum?

tum? SIMPL. Minimè: quandoquidem Simplicitas sine Prudentia, nullius pensi est, plusque officit, quām prospicit. Neminem enim diligit Amor DEI, nisi qui cum Sapientia ingreditur.

*De Simplicitatis moribus  
& conditione.*

## CAPUT XVIII.

**D**ESIDERIUS. Obsero, mea soror, dicere ne graveris, quo pacto erga unumquemlibet simpliciter tete geras. SIMPL. In tribus ita me gero, puta Cogitationibus, Dictis & Factis. Primò quidem nihil eorum cogitare soleo, quæ meum excedant captum vel intellectum: neque Mundi hujus honores, sublimitates & vanitates aucepior, semper eā in cogitatione perseverans, me cunctarum, quas orbis

bis habeat , virginum longè infimam , atque famularum DEI indignissimam esse: alias autem omnes pias , sanctas , gratiâ & virtutibus locupletes existimans. Deinde planè mihi statutum est , nullis adulatoriis , blandis , fucatis , exquisitis aut dolosis uti verbis , sed simplici duntaxat vel affirmatione vel negatione esse contentam , id est dicere : Est , est: non , non. Nam quod his amplius est , à Malo est , atque ex vitiosa vanitatis radice proficiuntur. Tertiò , nulla singularia , vana , mundana efficere opera decrevi , sed tantùm simplicia , inelaborata sive incompta , utilia tamen & commoda , ne vel ad vanitatem , aut singularitatem me permovereant , quibus ipsa hinc ejiciar & excludar. Enimvero simplicia efficere opera , cordis humilitatem adducit & servat , sed seculis agere , periculorum valde est. DESID. Quamobrem ? SIMPL. Noveris mi Desideri , Superiorem

&amp;

.1191

& Matrem nostram, nempe Humilitatem, huc me adduxisse, idque demandasse mihi officij, ut duas præclaras gemmas hisce in ædibus repositas conservem, videlicet Cordis Puritatem & Innocentiam, quarum tam ingens premium est, ut non possint pro dignitate æstimari. Eorum causa obtinendarum Domus hæc cum cæteris, quæ in hac solitudine sive nemore collocatæ sunt, ædibus, fundata & exædificata est. Et quidquid à nobis geritur, id omne ad has obtainendas conservandasq; gemmas referimus. Quòd si Curiositas, Vanitas, aut Singularitas per cordis, oris aut actionis ostium intromitterentur, utramque hanc gemmam nobis furto ablata ab sportarent. Atque eamobrem dum Virgines nostræ cogitatus, verba & facta sua ad hasce consequendas tuendasq; gemmas non referunt, pro haud mediocriter fatuis eas habemus, ut quæ, quid faciant, ignorent.

rent. DESID. Quorsum has servatis gemmas, cùm tamen ex professo pauperes sitis? Periculum certè est, ne in avaritiam incidatis, dum hujuscenodi tamen non necessarias ac superfluas, & supervacaneas retinetis opes, pura gemmas & res preciosas, quando interim pauperes multi præ fame moriuntur. SIMPL. Secùs seres habet, atque tu putes. Nam tametsi in amore, appetitione, ac possessione opum, cæterorumq; bonorum, sive spiritualia ea sint, sive alterius generis, pro intentione ac scopo, propter quem appetuntur, possidentur, ac in usu habentur sive expenduntur, fallacia & avaritia latere possit: in harum tamen possessione gemmarum non potest ulla inesse impostura, eò quòd ob Amorem DEI (ut videlicet illi serviamus ac placeamus, dumque vel ipse hue ad nos venit, vel nos illius in ædibus sumus, iis eum honoremus) eas concupiscimus, servamus ac tuemur.

Cæ-

Cæteras opes vermes ac rubigo per-  
versæ intentionis infestant, cò quòd  
externæ sint & expositæ. Has au-  
tem, quæ in corde latent, nulla  
rubigo, nullus situs, vermis nullus,  
nec ulla putredo potest attingere.  
Non enim cujusquam, præterquam  
illius, qui eas habet, patent obtu-  
tibus. D E S I D. Quid igitur, si is  
eas detegat, nullusne vel situs, vel  
vermis eas infestabit? SIMPL. Mi-  
nimè; nam si ea causa eas patefaciat  
vel ostendat, ut videantur ab aliis,  
eas habere desinit. Siquidem qui  
eas habet, non se cogitat eas ade-  
ptum, sed eo in studio ac cogitatio-  
ne perpetim versatur, ut eas possit  
adipisci. Interdum namque Domi-  
nus ita has largitur gemmas, ut qui  
eas consecutus est, non eas agno-  
scat, sequere eas habere nesciat. Quod  
quidem facit benignissimus D E U S,  
uti ne temeritas, præsumptio, sui  
existimatio ac magnipensio, intùs  
in corde latentes, eas suffurentur &  
tol-

tollant. Adeoque quisquis eas maximè adeptus est, quantum potest, diligentissimè eas occultat & tegit.

*Quibus rebus Cordis Puritas  
& Innocentia servetur.*

## CAPUT XIX.

**D**electabatur interim Desiderius hujus virginis sermonibus, dixitque illi? D E S I D. Dic mihi, oro, quibus rebus gemæ istæ potissimum serventur. SIMPL. Unum inter cætera novitiis & juvenibus præcipuè necessarium est, idemque senibus & proiectæ ætatis non est incommodum, videlicet Fugere, portasque & ostia seris obfirmare. Enimvero si quis multorum velit uti consuetudine & familiaritate, multaque audire & aspicere, is ægrè has poterit servare gemmas, idque hac ex causa, quòd anima nostra ceu spe-

ca

culum sit, quaslibet rerum ipsi propositarum imagines & simulacula recipiens, itemque velut cera signum sive sigillum ipsi impressum retinens, atque etiam instar vasis picei, quod fieri non potest, quin ingentes ex pice maculas ipsi inherentes, contrahat. DESID. Sed quinam fugere is potest, aut portas occludere, qui in aliqua religiosa vivit sodalitate? Siquidem crebro huc atque illuc pergere habet: & Praefectus vel Superior modò haec, modò illa imperat, cogiturque aliis atque aliis colloqui: imò verò etiam cum omnibus miscere interim colloquia necessary est, communemque & affabilem se præbere. Nam alioqui singularis habebitur, singularitas autem, etiamsi sub quodam sanctitatis & virtutis prætextu suscipiatur, odibilis est, deserique ac vitari debet. SIMPL. Planè sic est, ut ais, obedientiæ & amoris causâ multa nos dicere, audire, cernere oportere, quæ si quis

pro-

propria ductus voluntate facere vellet, erraret haud dubiè & perperam ageret. Cùm autem obedientia & charitas ad ea nos hortantur & commonefaciunt, (modò ne simus negligentes, faciamusque, quod in nobis est) periculum abest, ne hásce amittamus gemmas. DESID. Quid agendum est, ut faciamus, quod in nobis est? SIMPL. Necessarium, quidem est, ut quisquis obedientia, vel amoris, aut veræ necessitatis causâ, ob Puritatis & Innocentia servandas ac tuendas gemmas, secum manere, & animo collectus esse, atque ab aliis in silentio seorsum degere non permittitur, me sibi comitem adhibeat, meoque fretus solidatio, etiamsi totum cogatur peragrare orbem, non est, quòd se has amissurum gemmas vereatur. DESID. Obsecro, per similitudines quasdam isthæc planiūs explica. Ita enim simplices ea melius capient, ac tenacius retinebunt. SIMPL. Nihil.

F am-

ambigas, Cordis Puritatem & Inno-  
centiam (quæ præcipua ad capel-  
lendas virtutes omnes adminicula-  
funt, quibus etiam compendiosius  
ad extremam perfectionem, finemq;  
ultimum, nempe D E I Amorem,  
ab solutamque pervenitur charita-  
tem ) servare volenti, necessum es-  
se, ut fugam arripiat, portasque  
claudat. Id si facere non licet, me  
sibi adjungat comitem, atque in illis  
omnibus, quæ vel videre, vel au-  
dire contigerit, me in dextro suo  
collocet oculo.. Atque ubi sinister  
cupiditatis, vel temerarij ac stolidi  
Judicij oculus quippiam aspectare  
molitur, id ipse dextro simplicitatis  
contueatur oculo: ita secum simili-  
citer cogitans, sibiique persuadens,  
quemlibet Marem vel Fœminam,  
Fratrem aut Sororem, &c. omnipo-  
tentis DEI angelum & filium esse, &  
alia omnia, instrumenta quædam &  
organa esse, quæ creatorem suum  
sine intermissione collaudent. Et

dem-

demique ratione quidquid mali de proximo suo vel audierit, vel perspicerit, dexter oculus excuset, ac in melius interpretetur: atque de creaturis omnibus, ad quas appetendas sinister cupiditatis oculus ipsum permoverit ac illexerit, D E U M laudet & benedicat, commemorans secum Creatoris sui pulchritudinem, dulcedinem, bonitatem, aliasque illius virtutes & proprietates, dicentesque sibi: Evidem creaturas non alia ratione appetam vel amore prosequar, nisi ut in illis & cum eis D E U M diligam, laudem ac benedicam. Similiter in cunctis verbis, factisque suis necessarium est, me sibi conjungat & societ. DESID. Quam ratione cuncta hominis opera simpliciter sunt, sive cum simplicitate conjuncta sunt? SIMPL. Quando illius Intentio simplex, pura, & recta est, & quæcunque agit, in se ipsis alioqui bona, etiam cum omnibus loci, temporis, personarum.

F 2. cir-

circumstantiis, justa rectaque sunt:  
nec nisi ad laudem & honorem DEI,  
vel ob propriam aut proximorum,  
sive animæ, sive corporis salutem,  
seu virtuti consentaneam utilitatem,  
vel ob Reipublicæ commodum cum  
&ta facit, jam semper, ubique, & in  
omnibus cum simplicitate graditur.  
Is autem revera feliciter & securè  
graditur, qui hanc sibi perpetuam  
adhibet & servat comitem Simplici-  
tatem...

*De Paupertate.*

CAPUT XX.

D E siderius hujuscemodi Simpli-  
citas Sermonibus impendio  
recreatus, cum ei valedixisset, du-  
ctus est à sapè memorata Procuratri-  
ce in alterius cujusdam, ex Humili-  
tatis filiabus, virginis cubiculum,  
cui nomen erat Paupertas. A qua  
æquè

æquè placidè suscepimus, eiique assi-  
dere jussus, ita eam affatus est. DESID.  
Equidem tua sodalitate non parùm  
delector, certus, Amorem DEI  
impendiò charam te habere. Velim  
autem conditiones ac statum tuum  
mihi edicas. PAUPERTAS. Ob  
Amorem DEI, nihil rerum laben-  
tium, sive mundi hujus, vel habeo  
vel appeto. DESID. Qua igitur ex  
re gaudium & consolationem capis?  
PAUP. Potissimum ac præcipius the-  
saurus, opesque & gaudium ac con-  
solatio mea est, causâ Amoris DEI  
nihil habere. DESID. Id sanè per-  
quàm miror: quandoquidem, ut ab  
aliis accepi, Domus ista à nobilissi-  
mo, ditiissimo, ac liberalissimo,  
quem Orbis habeat, Domino fun-  
data & extorta est. Cur igitur is  
ferre potest, aut quid causæ est, ut  
velit illius tam inopes, miseras ac  
indigas esse habitatrices? Neque  
enim etiamnum capio, quamobrem  
paupertas vestra illi grata esse queat.

F 3      PAUP.

PAUP. Id ex me audies. Dominus ille, qui hujus opifex & fundator est Domus, totius mundi Rex & Dominus est, ejusque opes & thesauros omnes in sua manu habet: ac nihil seciùs hæc illius grata voluntas est, ut pauperes simus, ne in aliquid aliud, præterquam in ipsum, cor, animum ac amorem nostrum conferamus & collocemus. Quod si rerum omnium copiam ac affluentiam præstare nobis vellet, posset id quidem, sed amicis suis charioribus ita non facit, quod ipsum solum appetant, atque hunc mundum odio prosequantur. Estque hoc vel præcipuum & maximum amoris illius erga nos indicium & argumentum, dum nos in hoc exilio, in hac vita ærumnosa minimè consolatur, nequidquam eorum, quæ caro concupiscit, nobis subministrat. Deinde etiam hac ex causa rebus inopem nos vult vitam agere, ne nos supervacaneæ rerum ac divitiarum tempo-

ra.

talium curæ & solicitudines occu-  
pent, sed integris ac indistractis cor-  
dibus, cum omni gaudio spiritu ipsi  
famulemur, neque rerum mundani-  
narum & temporalium lucro vel ja-  
ctura, adversis vel prosperis casibus,  
vanâ lœtitia vel mœrore afficiamur,  
atque ita corda nostra in pace & tran-  
quillitate absque tædio, perturbatio-  
ne vel distractione D E O unita sint.  
Ea namque Divini est Amoris tene-  
ritudo, ut non nisi in abstracto,  
mundo, pacato & tranquillo com-  
memori loco velit. D E S I D. Quæ-  
nam præcipua tua virtus est? P A U R.  
Ea videlicet, ut me consodalibus  
meis, quibuscum vivo, quoad fie-  
ri potest, conformem & adaptem.  
Unde tametsi nihil habere desidero,  
attamen ob excludendam feram  
quandam, vocabulo Singularitatem,  
huc ad nos irruptentem, hortumq;  
nostrum depascentem & fructus de-  
vorantem, Domina Mater nostra  
vult me vivere instar cæterarum. Et

F 4      ne



ne virtutis meæ præmium amittam,  
Sancto cuidam Proposito, cuius est  
nomen, Nihil Exigere, me in ma-  
trimonium collocavit. Ad hæc di-  
xit mihi, siquidem perfecta effici  
velim, ut iis, quæ mihi ministrantur,  
sive multa sint, sive pauca, ac per-  
inde communi & simplici victu, ut  
lautissimo, gaudeam & contenta-  
sim: imò & de illis, quæ apponun-  
tur, ob Amorem DEI quippiam re-  
liquum esse sinam, satisque habeam,  
necessaria inde sumpsisse. D E S I D.  
Id sanè ejusmodi esse mihi videtur, ac  
Si plus aliquid optes, quam esse bo-  
nus, plus etiam facere velis, quam  
sis obligatus. Nam, ut ego sentio,  
Dominus vester, qui has fundavit  
ædes, spiritus paupertatem vobis  
præcipit, uti etiam Psalmographus,  
Divitiæ, inquiens, si affluent, no-  
lite cor apponere. Quamobrem sic  
arbitror, paupertatis virtutem non  
in eo sitam esse, si vel multum vel  
parùm habeas, sed in cordis affectu

vel

vel applicatione. PAUP. Haud inficias eo, virtutem paupertatis in spiritu consistere: at tamen tutius est, Divini causa Amoris, cunctis se nudare facultatibus, nec quicquam habere: quandoquidem amor & affectus noster erga res pulchras, jucundas, subtile & novas usque adeò propensus est, ut eas ægrè habere quis possit absque amore, affectu & cordis appositione vel applicatione. Ne igitur quandam nostri erga DEUM amoris, qui tam exiguus est, partem ad se rapiant, satius est stramina ab igni removere. Enimvero DEI Amor totum hominis amorem soli sibi vendicat vel poscit: & perplures invenire est, qui hac in parte imponant sibi ipsis, dum ita aiunt: Evidem hujus rei non magno amore teneor, eamque mihi subtrahi haud gravare ferrem. Crede mihi, amor & affectus tam subtilis est, ut perquam raro ejusmodi rebus non adharet. Exemplum vero capias

F 5

cx



ex ipso Domino Nostro JESU Christo, qui, cum omnes mundi facultates absque ulla cordis & amoris erga eas apponendi cura & metu habere potuisset, tamen quam pauperum ipse vixerit, tum etiam ejus veneranda Genitrix & sancti Apostoli, non te fugit. Quod quid aliud sibi vult, quam nihil nos neque animo, neque affectu, neque possessione retinere debere? Quapropter ea omnia, quæ in meo solebam cubiculo habere, prorsus à me rejici: ita ut non nisi dulcissimi JESU mei imaginem, quemadmodum nudus pependit in cruce, retinuerim, quo illius erga me amoris memet commonefaciat. Perplures olim codices assertare solita fui: at nunc removi omnes, paucis duntaxat, iisque principis, reservatis, videlicet Bibliorum volumine, Vitis antiquorum Patrum, Vitâ JESU, & nonnullis parvis libellis: præter quos, nullos

los alios expeto, amantissimo JESU  
meo, & sacratissimæ vitæ illius co-  
dice abundè contenta.

*De Obedientia.*

CAPUT XXI.

Desiderius etiam ex hujus virgi-  
nis dictis haud vulgari conso-  
latione affectus, ei valedixit, per-  
ductusque est à Procuratrice in Obe-  
dientiæ cubiculum, quæ & ipsa Hu-  
militatis filia erat. Huic Desiderius  
ingentein præsttit reverentiam, eò  
quod magnæ dignitatis & auctorita-  
tis, celebriorisque apud Amorem  
DEI existimationis, eidemque lon-  
gè charior cæteris virginibus esse vi-  
deretur. Cumque manum ejus de-  
osculari vellet, non est paſta, ut  
quæ Humilitatis esset filia, honorisq;  
ac reverentiæ exhibitione minimè  
delectaretur. Jussit autem eum una

F 6 se-

secum sessum se recipere. Cui De-  
siderius: Precor, ait, Domina Ma-  
ter, instituta conditionesque tuas  
mihi exponas. OBEDIENTIA. Equi-  
dem sancto cuidam Proposito juncta  
sum matrimonio, cuius est nomen,  
Nihil Exequendum Omittere; estq;  
vir potens, robustus viribus, & vir-  
tute conspicuus, itemque illustris &  
strenuus miles: atque is solus feram  
illam, quâ nullam orbis habet ma-  
gis terribilem, puta Propriam Vo-  
luntatem, profligare ac edomare  
potest. Quæ quidem fera cunctos  
ipſi obsequentes, eamque diligen-  
tes, absorbet, vorat, & perdit  
funditus: ac nihilominus sibili sui  
nimia suavitate malos omnes sibi  
morigeros & obsequentes facit, pau-  
ciique eam deserunt, donec in exiti-  
um & Tartari damnationem eos per-  
traxerit. Me verò pars maxima, &  
penè omnes fugiunt, tametsi certum  
est, me sine neminem DEI Amo-  
rem (qui tantæ præstantiæ & digni-  
tatis

tatis Dominus est, ut nec totus illi  
mundus possit æquiparari ) assequi,  
invenire & obtinere posse. Et quia  
DEUS Omnipotens tam bonum ac  
egregium mihi maritum præsttit,  
nihil nisi quod is jusserit, facio, neq;  
etiam ullum unquam laxamentum,  
vel remissionem sive indulgentiam  
peto, nisi me magna cogat necessi-  
tas. Neque ob furum sive latronum,  
qui apud nos plures ita delitescunt,  
ut nec videri possint, periculum, so-  
la progreedi ausa sum. DESID. Quis  
igitur te comitatur? OBED. Primò  
quidem canem mihi adhibeo, qui  
similiter ut tuus, Bonæ Voluntatis  
habet vocabulum: deinde sororem  
meam Simplicitatem, & filias meas  
Devotionem, Alacritatem, Dili-  
gentiam, Perseverantiam, Purita-  
tem. Cum primis verò Domina &  
Mater nostra Humilitas perpetuam  
se mihi comitem præbet. Atque  
has omnes mihi adjungam necesse  
est, modò secura pergere velim ad  
exe-

De-  
Ma-  
uas  
qui-  
ncta  
nen,  
estq;  
vir-  
ris &  
eram  
ma-  
Vo-  
are  
actos  
gen-  
dit  
li sui  
sibi  
pau-  
exit-  
per-  
a, &  
rtum  
amo-  
igni-  
cis

exequenda ea, quæ facere jussa sum.  
DESID. Dic, o<sup>r</sup>o te, mihi, ut  
Mater vestra Humilitas in rebus ge-  
rendis sese tibi sociam exhibeat: si-  
quidem id non satis assequor. OBED.  
In omnibus, quæ à me geruntur & fi-  
unt, etiamsi maxima sint, nihil me  
boni fecisse arbitror: neque in iis  
fiduciam temerè colloco, aut ob ea  
animi superbia efferor: neque item  
mihi persuadeo, alias aut non po-  
tuiss<sup>e</sup>, aut non æquè ac me, eadem  
efficere posse: non etiam ob ejusce-  
modi rectè ac præclarè facta, quan-  
tum ex me est, bonam me existimo,  
vel propterea laude affici, aut ad res  
magnas gerendas aptam & idoneam  
me haberi volo: sed humiliter gra-  
tias ago DEO, quod rationem, in-  
tellectum, sapientiam & vires quip-  
piam illius ob amorem agendi, mihi  
præstare dignatus est; aioque mihi  
ipsi: Quandoquidem hæc efficiendi  
gratiam DEUS mihi donavit, ob  
hoc ipsum magis illi obstricta sum.

Ita-

Itaque nihil ab aliis expeto, nisi ut laudent ac benedicant D E U M. Mihi solum laborem & molestiam ad extreum usque vitæ diem: omnipotenti D E O omnem honorem, laudem & gratiarum actionem: proximis verò utilitatem, cedete opto. Mihi, inquam, nihil inde expeto, certa, me ex meisla nil mereri: nec aliud peto, nisi ut Dominus noster suum mihi largiatur amorem, quo sanctiora indies possim opera efficere, nec ipsum unquam offendam, atque in extrema mortis hora, uti spero & confido, dulcem, benignum ac misericordem se mihi prabeat,

A M E N.



D e

*De Castitate.*

## CAPUT XXII.

**D**esiderius Matris suæ Obedientiæ verbis magnoperè recreatus, ei valedixit, atque à Procuratrice deductus est in cubiculum extremæ Humilitatis filiæ, nempe **C A S T I T A T I S:** à qua honorifice & comiter exceptus, cùm juxta eam resedit, ait illi: Obsecro, Domina Virgo, tuas mihi conditions edicito. **C A S T.** Ut nōsti, Humilitatis cordis filia sum, utorque duabus ancillis, quarum una Abstinentia, altera Verecundia dicitur. Maritus autem meus Custodia Cordis appellatur, qui puerum habet semper ipsum comitantem, vocabulo Custodiam Sensum. **D E S I D.** Quæso, hunc mihi puerum videntum præbeas. **C A S T.** Libens id fecerim. Interim Desiderius pueri hu-

hujus mirabatur ornatum & appara-  
tum. Siquidem manu sua tenebat  
frænum & lapidem, & ricam sive  
velum, denique catenam cuin sera,  
dixitque illi Desiderius: Oro te, fi-  
li, quidnam hic apparatus & orna-  
tus tuus significet, aperias. P U E R.  
Frænum istud improbae cuidam be-  
stiae, quæ est Domini mei, edoman-  
dæ adhibetur, quæ licet exigua sit,  
tamen ubi evadit, cunctos proster-  
nit, nec quisquam eam retinere aut  
cohibere novit, nisi Ostiarius no-  
ster Timor Domini. D E S I D . Quod  
hujus malæ bestiæ nomen est? P U E R.  
Lingua videlicet. D E S I D . Ecquid  
verò hoc lapide facis? P U E R . Fo-  
ramina illo obstruuntur, quæ sunt  
retrò in his ædibus, dicunturque  
Aures, ne per eas fures irrepant, uti  
sapienter usuvenire solet, dum hoc la-  
pide non muniuntur. Nonnunquam  
verò & ori illum injicio, ne loqui  
tentem. D E S I D . Alij te mutum  
appellabunt. P U E R . Non sum qui-  
dem

dein mutus, sed causâ Amoris DEI  
mutum me efficio. DESID. Quid hoc  
ipso obsequij præstas Amori D E I:  
P U E R. Per multum sanè: quando-  
quidem per hanc quoque portam  
duæ illæ gemmæ, quas Simplicitas  
commemoravit, amittuntur, pura  
Innocentia & Puritas Cordis: dumq;  
mutus sum, id etiam curo, ne vi-  
num, quô utuntur virgines nostra,  
è dolio effluat aut effundatur. DESID.  
Quid? An non curare id posses, si  
loquereris? P U E R. Non. Siqui-  
dem epistoliuni aperiri non potest,  
quin vinum effluat. D E S I D. Pos-  
sitne vas quoddam supponi, quo vi-  
num effluens excipiatur & conser-  
vetur? P U E R. Possit quidem, sed  
eò ingens & firma exigitur sapientia,  
fortitudo ac intelligentia: atqui ipse  
etiamnum pusillus & teneræ ætatis  
sum, neque facile id præstare pote-  
ro, citiusque vinum omne è dolio  
effluxerit, ut nihil nisi ventus in eo  
permaneat. DESID. Quid sibi vult  
rica.



rica isthæc sive velum? P U E R. Id  
 Puritas dicitur, facitque ad sinistrum  
 tegendum & obturandum oculum,  
 qui Sensualitati militat. D E S I D.  
 Anne etiam dextrum regis oculum?  
 P U E R. Minimè. Nam is simplicita-  
 tis est, quæ non solùm nihil mali,  
 sed quæque bona, salutaria ac fru-  
 gifera huc introducit. Sinister au-  
 tem oculus Sensitivæ Portionis sive  
 Sensualitatis est, multoque acutiùs  
 & celerius cernit, quām dexter: mul-  
 tisque nos incommodis afficit, atque  
 adeò ipsam huc mortem adducit.  
 Quare necesse est, ut hoc velo ob-  
 struatur, quò cuncta pure & candi-  
 dè alpiantur. D E S I D. Quæso,  
 hæc enucleatiùs efferas, quanam ra-  
 tione cuncta pure & candidè aspi-  
 ciantur. P U E R. Omnia quidem  
 tum puro corde conspiciuntur, cùm  
 aliquo ex his tribus oculo respectan-  
 tur, puta vel sui inde elicienda sive  
 capienda ædificatione, vel hono-  
 rando ac glorificando DEO, vel ex-

ca-

cusando & compatiendo proximo.  
**D E S I D.** Etiam isthæc ratio subobscura est: quæso, dic manifestius.  
**P U E R.** Novi te rem probè capere.  
**D E S I D.** Etsi ipse tua dicta assequor, tamen aliis fortassis melius sibi declarari, & certius à me edoceri vollet.  
**P U E R.** Evidem sic sentio, voluntatem tuam ac desiderium, quo aliis prodesse cupis, & pium cum primis, & multa laude dignum esse, quando non privata captare commoda vel utilitatem, sed aliis velle consultum, non mediocris virtutis, benevolentia & amoris est. Et multa quidem hic apud nos per similitudines & parabolas audisti, quorum interpretatio vel expositio, & profunda, & frugifera, & elegans est: ubi igitur reversus eris, eorum, quæ hic audisti & vidisti, quandam poteris confidere exegesim sive commentaria, quibus ea fusiùs ac latius deducas, & quod Divus Gregorius in sancto Job fecit, copiosius enarras.

**D E S I D.**

DE S I D: Rectè sentis: neque dubi-  
tes, me, volente D E O, quod  
hortaris, præstiturum. Nam tam-  
etsi eruditis ac intelligentibus istæ si-  
militudines absque ulteriori expla-  
natione possint sufficere, tamen mi-  
nus doctis ac intelligentibus utilis:  
sanè ac frugifera fuerit planior ea-  
rum elucidatio. Maximè verò id  
me negotij suscipere & aggredi pro-  
fuerit, si vestro consilio id fecero.  
At nunc ornatūs tui rationem mihi  
pergas edicere. Quorsum catenam  
hanc cum sera habes? PUER. Ea ni-  
mirum Oris Moderatio dicitur, qua  
Domūs hujus portas obseramus, ne  
virgines hīc demorantes, foras eva-  
gentur. Namque si catenam hanc  
& seram non haberemus, nulla  
apud nos esset religio, sed essent va-  
na omnia. Denique id certum ha-  
beas, modò sinistrum oculum te-  
ctum retineam, etiam oculis aper-  
tis nihil me videre. D E S I D: Qui  
fieri potest, ut patentibus oculis ni-

hil.



hil conspicias? PUER. Eò quòd oculos in capite fixos teneam: & licet interdum humum aspiciam, ipse tamen oculorum repercussus, ad caput reflectatur.

## PRIMÆ PARTIS CONCLUSIO.

### CAPUT XXIII.

**P**Ostequam Desiderius Castitatis constitutudine & sodalitate aliquamdiu usus erat, discessit ab ea impendiò recreatus. Porrò Procuratrix extra Domum eum eduxit, atque illi: Jam quidem Desideri **virgines omnes**, quotquot in his degunt ædibus, contemplatus es. **DESID.** Nihilne adhuc reliquum est, quod mihi demonstrare velis? **PROCURATRIX.** Si ea omnia, quæ hinc auribus & oculis assequutus es, probe servaveris, atque in opus

pro-

protuleris, satis instructus eris ad inveniendum Amorem DEI. At tamen insuper arborem quandam nostro in pomario positam, tibi ostendam. Hac arbore sanè eleganti visa, Desiderinum ingens cepit admiratio, præcipue quòd duplicem ferret fructum, aitque Procuratrici: DESID. Cujusmodi sunt fructus isti: PROCUR. Fructus in infimis nascen-tes ramis, iidemque pallidi ac discolores, dicuntur Dissidentia sui: qui verò in summis nascuntur frondi-bus, colore eleganti & roseo, Con-fidentia in DEUM, appellantur: quibus fructibus eos, qui huic ingrediuntur, vesci oportet. Nam si iis non vescantur, omnis eorum la-bor inanis est, frustraque huc veni-unt. DESID. Placētne ex his fru-ctibus mihi impertiri, quos in iti-nere mecum feram? PROCUR. Pla-cet sanè. Et primò ex infimis fru-ctibus, nempe Dissidentia tui, quan-tum satis est, ede: supremis autem

iii-

implemanticas turas omnes, quò iis  
per iter utaris: sufficientque, donec  
ad Amoris DEI pertingas ades. De-  
siderius infimis exatiatus ac abunde  
refectus fructibus, impensè lata-  
batur: porrò summis peram, man-  
ticam, manicas & sinum in iter  
complebat, aitque Procuratrici.  
D E S I D. Obscro, mea soror, se-  
mitam maximeque compendiarium  
ad Amoris DEI ades iter, quod mi-  
hi tenendum dicis, me edoceas.  
P R O C U R. Gaudeo revera, dum ad  
inquirendum A M O R E M D E I,  
iterque capessendum tam probè te  
instructum conspicio. At nihil  
minus vereor, si solus proficiaris,  
rectum iter minimè te reperturum.  
Itaque fidos quoddam ex nostris co-  
mites tibi adjungam, qui tecum per-  
gant, teque deducant. D E S I D.  
Sufficitne meus canis, qui Bona Vo-  
luntas dicitur? P R O C U R. Neutri-  
quam sanè. Nam quantumvis bo-  
na sit, non satis est ad hoc iter con-  
ci-

ciendum : utpote in quo non solum  
perplures feræ, foveæ, trunci vel fru-  
tices, vepres & spinæ, sed etiam la-  
trones, fures & raptiores multi , qui  
homines despoliant , extinguunt , &  
sæpius fallunt , reperiuntur. Unde  
consultius est, ne uni tuo Cani præfi-  
das. DESID. Quando sic se res ha-  
bet, eos mihi, quæso, comites præbe,  
quos mihi magis utiles & necessarios  
nōsti. PROCUR. Accipe tecum  
Ostiarium nostrum Timorem Do-  
mini, virum certè egregium & præ-  
stantem, eoque si destitui nolis, non  
patiaris à te discedere filiam ejus ,  
nempe Verecundiam, quam similiter,  
si amittere non vis , memoriæ refri-  
candæ causa apud te retineas herbam,  
vocabulo Hūmilem Oculorum De-  
missionem. Deinde etiam Simpli-  
citas tecum gradietur. Age nunc ,  
mi Desideri, divinâ munitus Benedi-  
ctione , felix proficiscere. Hoc ta-  
men admonitum te velim , etiamsi  
vel Timorem Domini, vel Simplici-

G ta-



tatem perdere te contingat, ut ad minus canem tuum diligenter conserves & retineas. Is enim id tibi præstabit, ut eos recuperes. Tantum cura, ut fructus, quos in manica condidisti, ei edendos præbeas. Ubi autem hinc discesseris, iter, quod ad lævam est, amplectere: ubi semitam comperies, longè aliis viis compendiosiorem, quæ te rectâ ad CHARITATIS domum, in qua DEI AMOR habitat, perducet. DESID. Quinam semita illa vocatur, ut, si me aberrare contingat, alios scisciter, & ad viam revertar? PROCUR. Patientia illi nomen est, quæ ad Humilitatis' tum Charitatis ædes, semita est imprimis compendiosa & succincta.



PARS



## PARS II.

*De Patientia.*

### CAPUT I.

**D**E SIDERIUS Fructibus antè dictis bene reffectus, ac optima sodalitate, nempe Cane suo, id est, Bona Voluntate, atque Ostiaro, id est, Timore D E I, ex uno latere, & ex altero Simplicitate munitus, itemq; manticam habens, Fructibus memoratis, nempe Confidentialia in D E U M, abundè refertam, latus & alacer ex Humilitatis discessit domo, & iter Patientiae bono animo cœpit capessere. Quod

G 2

li-

RS



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

licet brevius & compendiosius esse illi dictum erat, tamen asperum, durum, difficile, vepribus fenticosum ac scrupulosum comperit, aitq; Simplicitati: DESID. O DEUS bone! quam aspera, molesta & dura hæc via est: equidem nunquam id credidisse. SIMPL. Nihil hoc mirum tibi videri debet Desideri: namque hac ex causa Patientiæ via dicitur, quæ si tam scrupulosa, petrosa, difficilis, tribulis ac vepribus plena non esset, non sic diceretur: neque domus illa, ad quam perducit, tanto in precio haberetur, si plana & jucunda, & quibuslibet pro ipsorum arbitrio pervia foret. At nunc præter bene exercitatos nemo eam calcat. An verò commune illud non tenes proverbium, Nihil boni sine labore obtineri, nec dulce aliquid sine acerbitate? Et quia nunc hoc iter ingressus es, illius asperitas ferenda est: sed non diu durabit. Nimirum qui pisces cape-

re

re volunt, sese madefieri ut ferant, oportet. Itane persuasum habes, rem tanti momenti, talemque thesaurum, ut est Amor D E I, temerè & nullo negocio te reperturum? Fac memineris dicti illius Senecæ Philosophi: Non potest parvo res magna constare: itemque, Nam justè per magnos ad magna præmia labores itur. Deliras planè Desideri, si te rem tantam nullo negocio pro voto putas adepturum. Neque verò aliquis pensi habiturus essem Amorem D E I, si tam facilè illum liceret adipisci, quandoquidem non magno constitisset. Age igitur, emitere modò paulisper pro viribus, nec aliquid laboris fuscipere pigeat: postea cum Amore D E I requie perfruēris, ejusque consolationibus recreaberis, atque etiam majori eum in precio habebis, impensiùs diliges, & studiosiùs conservabis: quantoque majorem illius obtinendi causâ laborem percessus eris, tanto etiam post

G 3 ma-

majori gaudio & consolatione refo-  
veberis. Quod si viribus animoq;  
lassescere contigerit, ede fructus  
illos, qui Confidentialia in DEUM  
appellantur, quos apud te habes,  
erisque robustior, & ad viam redi-  
bis. Si itineris molestiam ac tedium  
sentire noles, imiteris viatores,  
qui cantando itineris molestiam al-  
leviant. Desiderius hujuscemodi  
Simplicitatis verbis, consolatione  
ac animatione non mediocriter exhi-  
ilaratus, ait ad illam: DESID. Qui-  
nam, obsecro, in senis hujus gra-  
vis ac morosi contubernio cantare  
poterimus? SIMPL. Haec illi con-  
suetudo est, ut talem in gestu & ha-  
bitu præ se ferat gravitatem ac matu-  
ritatem, alioqui totus revera dul-  
cis, jucundus & amabilis est, quippe  
qui Amoris DEI germanus est,  
cantumque gratum habet, maxime  
quando non ex animi levitate, sed  
spiritus exhilarandi ac tedium ex itine-  
re nascentis fallendi & levandi, ani-  
mum-

mumque per iter confirmandi gratiam  
canere nos videt. DESID. Quo  
pacto canam, qui vocis inops sum?  
SIMPL. Fieri non potest, ut voce ca-  
reas, quando ipse vox es. Mira-  
batur id Desiderius, quod ipsum vo-  
cem esse diceret, aitque illi: DESID.  
Qua ratione fit, ut ipse vox sim?  
SIMPL. Tu quidem, sicut & crea-  
turæ omnes, per DEI verbum con-  
ditus es: Constat autem, post ver-  
bum existere vocem. Cùm igitur  
simul atque D E U S sermonem pro-  
tulisset, mox creaturæ omnes extite-  
rint, sequitur inde, creaturas omnes  
voces esse. DESID. Precor, id paulò  
meliùs explices. SIMPL. Faciam  
ac lubens. Sermo & Verbum non  
nisi unum sunt. Siquidem sermo  
non id est, quod ore profertur, sed  
quod intus animo conceptum retine-  
tur. Quod verò ore exprimitur,  
vox est, sermonem sive verbum cor-  
de conceptum significans. Sic si  
mente ejuscemodi cogitationem.

G 4      con-

concipiam, hominem te esse, ea  
quidem verbum est, sive sermo: &  
licet ore non proferam, tamen intus  
retineo: Quod si ore exprimam, Tu  
es homo, hoc ipsum vox est, laten-  
tem mentis conceptum significans.  
**D E S I D.** Agedum videamus, si vox  
ego sum, cuiusnam vox sim. **S I M P L.**  
Nimirum DEI quædam vox es, à  
quo ad illius laudem, honorem &  
gloriam creatus es. **D E S I D.** Ec-  
quid igitur de meipso loquor, quan-  
doquidem vox sum? **S I M P L.** Es-  
sentiæ illius, quam habes à DEO,  
bonitate, DEUM bonum esse præ-  
dicas: sic & pulchritudine tua, pul-  
chrum illum testaris, utsi potest cujus  
beneficiâ talem & bonitatem &  
formam ac pulchritudinem es conle-  
cutus. Denique quidquid in te est  
creatum à DEO, non nisi quædam  
DEI vox est, illius virtutem ac bo-  
nitatem exprimens. **D E S I D.** Qua-  
ratione, quidquid in me est à DEO  
conditum, vocem esse confirmas:

nec

nec simpliciter & absolutè , quidquid in me est , vocem asseris? SIMPL. Eò videlicet , quòd malitia & peccata tua , quæ utique DEUS non fecit , non DEI , sed tuæ sint voces , quæ te vilem , improbum sive malum , impurum ac fœdum loquuntur. Ut enim per creaturas DEI ad eisdem cognitionem ducimur , ita per ea , quæ nos ipsi gessimus , quæque ex nobis proficiuntur , ad nostri licet notitiam pervenire.

*Ut DEUS per Creaturas  
cognoscatur.*

## CAPUT II.

Desiderius quidem non sine admiratione Simplicitatis spectabat conditionem , quòd licet non nihil rudis videretur , tamen rerum istarum sublimium , ac nequam vulgarium , tam prudens esset , di-

G 5 xit-

xitque illi : D E S I D . Quamobrem  
nos canere vis ? S I M P L . Quò mi-  
serabilis hujus exilij difficultates , ta-  
dia & dolores faciliùs oblivioni tra-  
damus , spemque ad charitatis DEI  
domum pertingendi non amittamus .  
Cui rei haud mediocriter suffragatur  
contemplatio creaturarum D E I :  
quas equidem ea ex causa in hoc pati-  
entia itinere collocatas volui , quòd  
Amorem D E I citius sis adepturus , si  
corde & cogitatione in hoc creatura-  
rum codice sèpiùs versatus eris . Si-  
quidem per patientiam & consola-  
tionem scripturæ literalis & divinæ ,  
qualis est totus hic mundus , qui non  
nisi quidam DEI liber est , spem ma-  
jorem concipimus . D E S I D . Quan-  
do igitur cantandum est , faciamus  
id , cuius gratiâ voces sumus , id est ,  
D E U M laudemus ac benedicamus .  
S I M P L . Placet sanè : namque per  
hanc viam complures sese nobis vo-  
ces offerent , quæ unà nobiscum  
conceinent . Quandoque Discantus ,

quan-

quandoque Tenor, quandoque Altus occurret. Atqui initio ut plurimū Bassus obveniet: in medio frequens Tenor & Discantus erit: in extremis Altus atque omnigenae voices, plenique cantus & melodiam organorum & ( quæ vocant ) Contrapunctorum, pro creaturarum tum varietate, tum multitudine. Necessarium est autem, modò ex Musices præscripto agere velimus, primò quidem cantandi peritum esse. Cùm igitur voces habeamus, canendi modus & adminicula perdiscenda sunt. D E S I D. Ecquis ista nos docebit? S I M P L. Nimirum voces ipsæ. Aliæ namque creaturæ D E I bonitatem, aliæ potentiam ac celsitudinem, aliæ sapientiam, aliæ generositatem, aliæ pulchritudinem, aliæ dulcedinem, aliæ magnitudinem, aliæ justitiam, aliæ liberalitatem loquuntur: atque hoc pacto, pro sua quæque conditione & natura, D E I quadam nos notio-

ne imbuit, quò illius laudes gratesq;  
canamus & divulgemus. Quamob-  
rem des ( obsecro ) operam , ut hoc  
in itinere quoad poteris , canendi  
bene peritus evadas : maximè , cùm  
illis in ædibus Amoris , ad quas pro-  
fisceris , non nisi cantetur : ut , ubi  
eò adveneris , jam antè hac arte in-  
structus sis. Quisquis enim in jam  
dicto itinere bona est voce præditus ,  
eamque crebrò exercet , illius vox  
planè confirmatur , & longè melior  
fit , adeò , ut deinceps eam mutare  
nequeat. Atque prout quispiam hac  
in via exercitatione quotidiana me-  
liùs cantare discit , ita illic cantor  
insignior , cæterisque excellentior  
habetur. DESID. Doceas me , quæ-  
so , ut per creaturas canendum sit:  
nam per meipsum id haud facile di-  
dicero. SIMPL. Gratum habeo ,  
quod petis. Intereà Desiderius lon-  
gè lateque per sylvas & solitudinem  
proficiens , multas D E I & Salva-  
toris nostri J E S U Christi virtutes &

ex-

excellentias , ejusdemque bonitatem didicit & expertus est , idque potissimum Simplicitatis adminiculō , institutione , & grandi ope ac suffragio . Attamen multa ei pericula , duriq; labores subeundi erant , s̄piusq; impingebat & titubabat : sed Simplicitas eum sustentabat , ne penitus collaberetur . Quandoque etiam corruebat , sed manum ei porrigebat Simplicitas . Interdum tam graviter ac profundè cecidit , ut , nisi Timoris DEI auxilio relevatus esset , nunquam nec potuisset , nec voluisset resurgere . Nonnunquam ubi progreendiendum erat , abibat retrò : atque ubi ex creaturis ædificari ao profectum facere debuisset , reddebat deterior . Non enim in eam satis curam inçumbebat , ut occultas vocum virtutes & nucleus perspectum haberet , nec cantum ipsum magni pendebat , sed quadam se finebat raueedine affici , donec divino pulsatus ac stimulatus Timore ,

ni-

niteretur progreedi. Sæpius in sen-  
tes ac tribulos pedibus incurrit: at  
Simplicitas pedes tenebat, & Timor  
Domini extrahebat spinarum acule-  
os. Subinde somno deprimebatur:  
at Timor DEI movebat excitabatque  
somniculosum. Sæpenumerò ex  
**itinere** defatigatus, quietem captu-  
rus, sessum se recipiebat: atqui  
Canis, Bona Voluntas, eò usque  
latratus dare non destitit, donec sur-  
geret. Quandoque tanto vexaba-  
tur tædio, ut præ animi vacillantis  
inconstantia, reverti meditaretur:  
sed mox, ubi fructus edit, quos in-  
mantica sua ferebat, ad se se rever-  
sus, vires animumque recepit.  
Nonnunquam dum noctibus iter  
faceret, tum DEI Timorem, tum  
Simplicitatem perdidit, ita ut ex  
itinere deviaret: sed simul atque  
dies Sole oriente illuxit, citò, du-  
ce Cane, ad viam rediit. Denique  
cùm aliquot diebus iter egissent,

tan-

tandem ad amœnum quoddam &  
gratissimum pervenere pratum, in  
cujus medio regale erat Palatium,  
**CHARITATIS** appellatum,  
cujus Ostiarius erat Amor.

D E I.



PARS

( 158 )



## PARS III.

*De Amoris DEI probatione  
& exercitatione.*

### CAPUT I.

**D**I igitur Desiderius tam insigne & jucundum est Palatium conspicatus, re ipsaque didicit, usque adeò molestum, difficile ac tædiosum iter tam suavem habere terminum, impendiò lætatus est. Accessit autem ad fores, quas, cùm clausas ostendisset, pulsare & clamitare cœpit. Atqui post multos clamores, iteratasque identidem pulsationes,

nes, nemo, qui illi responderet, aderat. Tum verò Simplicitas, necesse est, inquit, Desideri, ut clamans fortiter. Id namque si feceris, fieri non poterit, quin te exaudiant, etiam si vel somno depresso, vel surdastris sint. Arripe binos hosce malleos à toribus pendentes, iisque pulsia ostium, moxque, ut patefaciant, advolabunt. (Enim verò pendebant illic mallei duo ad fores palatij, quorum alter Suspirare, alter plorare dicebatur.) Clama & pulsa viriliter. Neque enim istæ hīc portæ forent, si nemini aperirent. Mihi quidem eâ causâ hīc affixi mallei videntur, ut illis pulsantibus reserent aditum. Ita jam Desiderius multūm diuque clamando, & malleis pulsando perseverārat, antequam DEI Amor illi patefaceret, qui tamen non est à Desiderio agnitus. Ait autem illi Amor D E I: Quid tibi vis frater, aut quid hīc quæris? Fortassis tam diuturnæ expectationis,

cre-

crebræque pulsationis jam pertæduit.  
 Sed ut eorum qui huc accedunt, pa-  
 tientiam & longanimitatem explo-  
 remus, surdos nos simulamus. Fitq;  
 haud rarò, ut, ubi quempiam tædere  
 conspicimus, sibi que persuasum ha-  
 bere, nullo negocio adventanti mox  
 ostium debere patefieri, ita eum re-  
 cedere, ut advenerit, sinamus, fo-  
 ribus non reseratis, eò quòd nemini  
 huc intrandi fit potestas, qui se id  
 meritum, sive dignum ac idoneum,  
 nosque id jure facere debere arbitre-  
 tur. Túne ergo ejusmodi es? DESID.  
 Neutiquam, mi Domine.. Nam  
 tametsi innumeros eluctatus sum,  
 atque exantlavi labores ac pericula,  
 nihilo seciùs certus sum, me, qui  
 huc intrò admittar, non esse meri-  
 tum, imò indignum esse, nisi pro  
 tua benignitate & misericordia  
 me placeat introducere. AMOR  
 DEI: Quamobrem intrò petis reci-  
 pi? Quid hisce in ædibus captas vel  
 expetis? DESID. Evidem, mi

Do-

uit.  
pa-  
lo-  
itq;  
ere  
ha-  
nox  
re-  
fo-  
ini  
e id  
um,  
tre-  
SID.  
am  
um,  
cu-  
qui  
eri-  
pro-  
ia  
OR  
eci-  
vel  
mi

Domine, ab Humilitatis Domo huc veni, gravibus hisce ac honestissimis mihi adjunctis sociis & comitibus, atque per Patientiae semitam, sive iter compendiarium profectus sum, idque solâ Amoris DEI, qui isthic demorari dicitur, inquirendi causâ. **A M O R D E I :** Nullumne documentum adfers, quo certum fiat, te ex Humilitatis ædibus advenisse? **D E S I D.** Geminum, mi Domine, documentum adfero, quorum alterum in Humilitatis Domo mihi collatum est, diciturque **Cognitio** sui: alterum ipse in itinere mihi descripsi, quod DEI Cognitio appellatur. **A M O R D E I :** Satis mihi placet, tam bene tibi esse provisum atque prospectum. At id mihi respondeas velim, putésne ob hanc geminam cognitionem, debe te nos jure ac meritò intrò te recipere? **D E S I D.** Absit, ita ut sentiam, sola, ut dixi, gratiâ & benignitate vestra huc intromitti peto. **Siqui-**

dem

dem certum non habeo, sítne utraq;  
hæc Cognitio, quâ instructus sum,  
rectè an perperam scripta. Id qui-  
dem dubium non est, me in Humi-  
litatis domo aliquamdiu esse mora-  
tum, atque inibi tum domum ipsam,  
tum virgines omnes, earumque  
conditiones, illis indicantibus, mi-  
hi esse perspectas ac exploratas. At-  
qui utrùm fructus illic comedos be-  
ne concoxerim, iidemque satis se-  
derint stomacho meo, quamvis gu-  
stu suaves essent, me nescire fateor:  
Sed neque id compertum habeo,  
num in itinere fructum aliquem te-  
cerim, nec ne. Sæpè namque ce-  
cidi, vepres & tribuli crebrò me  
confixerunt, comitesque mei pa-  
rùm abest, quin vi huc me perdu-  
xerint. Itaque mi Domine, nihil  
est ex his omnibus, quæ mecum fe-  
ro, de quibus certum te possim effi-  
cere, præterquam de malitia, vili-  
tate, desidia & imperfectione mea.  
Quapropter inter alias, quæ me  
Amo.

Amoris DEI inquirendi gratiâ huc accedere fecere, causas, isthæc una est, quod aliorum relatu didici, insig-  
nem eum esse chirurgum, optoq;  
ab illo purgari, venamque mihi in-  
cidi. Aiunt etiam solo intuitu mox  
eum etiam intus in corde latentia  
nôsse vitia & defectus, & quibus-  
cunque manum admoveat, eos om-  
nino purgare. AMOR DEI. Quid  
causæ est, cur ita sanus ac purus ve-  
lis effici? DESID. Id scilicet, quod  
(ut ex aliis percepit) nemini huc da-  
tur ingredi, qui immundus sit, sed  
puris duntaxat, sanis & immacula-  
tis. AMOR DEI. Quando igitur  
totam spem & fiduciam tuam nostris  
in manibus constituisti, parumper  
hic expecta. Non enim poteris huc  
ingredi, aut cum Amore DEI col-  
loqui, nisi prius cum illius puerò sis  
collocutus. Age igitur, paulisper hic  
subsiste. Evidem puerum accersi-  
tum abeo, isque planè te edocebit

ac

ac instituet, quicquid faciendum  
tibi fuerit, quòd cum illius Dōmino  
possis habere sermonem.

*De Amore proximi.*

CAPUT II.

**I**Nterea Desiderius adventum pueri, qui eum ad Dominum suum introduceret, cupidissimè præstolabatur. Atque ecce egredientem intuitus est. Dicebatur autem puer, Amor Proximi. Tum verò immenso affectus gaudio Desiderius, ob amorem ingentem, quo pueri herum prosequebatur, à lachrymis prælætitia sibi temperare non potuit.

**AMOR PROXIMI.** Cur lachrymis oculi humescunt & madent tui, quando hisce in ædibus omnes hilares sunt, nec quisquam ploratus edit?

**DESID.** Lachrymas hasce non dolor aut mæror, sed gaudium exprimit.

AMOR.

AMOR PROX. Quem h̄ic quāris?  
 DESID. Amorem DEI. AMOR.  
 PROX. Illius ego puer sum. Si ergo Dominum meum quāris, priūs necesse est mecum sernionem habeas, meique notitiam contrahas & familiaritatem. Namque Dominus meus tam me sibi charum habet, ut quisquis me non diligit, eum nec nosse nec alloqui dignetur. DESID. Per quam velim exploratas & cognitas habere conditiones tuas, atque ob Amorem Domini tui, tecum consuetudinem & amicitiam jungere. AMOR PROX. Siquidem in amicorum meorum numerum admitti velis, singulis quibusque diebus manē jentaculi loco conditum mihi præbeas oportet, cuius est vocabulum, Humilis Cogitatio: itemque aliud meridie, quod Humilis Locutio dicitur: rursumque serò aliud, cuius est nomen, Humilis Oqueratio. DESID. Ubinam hasce licebit comparare condituras.

sive

sive condimenta? AMOR PROX.  
Primam quidem conditaram, nem-  
pe Humilem Cogitationem, Hu-  
militas conficit unā cum Marito suo,  
videlicet sancto illo Proposito, quo  
se aliis omnibus viliorem, minorem,  
inferiorem, & velut Jumentum du-  
cit ac arbitratur. Propositum hoc,  
Humilitati quoddam parat edulium  
sive electuarium, quod Contemptio  
sui appellatur: ad hanc deinde, de  
qua nunc agimus, conficiendam  
conditaram, alia adhibetur herba,  
qua Bona de Proximis Existimatio  
dicitur, atque ex his Humilis Cogi-  
tatio fit. Nullum autem totā hac  
provinciā peritiorem hujus confici-  
endæ condituræ sive condimenti my-  
ropolam reperies, quam antè di-  
ctum Humilitatis maritum, qui,  
ubi cum amicum nactus eris, probè  
ipsum coquere & parare sciet. Al-  
tera Conditura, nempe Humilis  
Locutio, ex aliis tribus herbis con-  
stat, puta, Humilitate, Mansue-  
tudi-

tudine & Affabilitate, quæ quidem minuto sint conspersæ pulvrc, videlicet Tarditate & Parcitate. Tertia conditura, quæ est Humilis Operatio, ex multiplici materia, herbisq; multivariis conficitur, quarum præcipuæ sunt, Hilaritas, Amor & Diligentia. Hasce ubi mihi vescendas obtuleris condituras sive condimenta, firma erit consuetudo & amicitia nostra, breviique efficiam, ut Domini mei colloquio perfruaris. Desiderius ejusmodi Pueri hujus consiliis ac institutionibus mirifice delectatus, ait ad eum: DESIDER. Quandoquidem tum conditionem, tum desiderium mihi tuum explicasti, hasce obtainere condituras, easq; tibi præbere curabo. Deinde diu satis Desiderius apud Puerum demoratus est, agendo atque conversando cum illo, ejusque haud vulgarem est consecutus familiaritatem, dum illi antè memorata exhiberet condimenta. Quadam autem vice sic eum.

H com-

compellavit: Obscro, id mihi praestes beneficij, ut patefacto aditu, licet mibi Herum tuum accedere.

**A M O R P R O X.** Aequum sanè est id, ut fiat, quando quod in te est, facere studiisti. Sustine igitur parumper.

En Dominum meum accerſitum pergo, exploratumque, num tecum colloquendi gratia foras prodire velit.

*De Amore D'E I & Proximi, &  
de alio Amoris gradu, ejusq;  
functione sive officio &  
exercitio.*

## CAPUT III.

**D**esiderius interim hanc animo versabat cogitationem, num Amor DEI ad ipsum colloquendi gratiā exiturus foret, secum ipse pensans, usque adeò vilem, inopem ac miserum se esse, planeque indignum, quicunque tantus tamque illustris Dominus verba misceret. Atque sub hisce cogitationibus quandam ad se

ac-

accedentem intuitus est, sibiique dicentem: Quid tibi vis frater, quidve petis? D E S I D. Amorem DEI inquiro Domine mihi. AMOR DEI. Is nimis sum ego. Quibus auditis, mox Desiderius humi collapsus, & viribus destitutus est. Tum vero Amor DEI prehensa illius manu, eum crexit. Videns autem se aucto Amore DEI erigi, largiores fudit lachrymas, ita ut verbum edere non posset ullum, in tantum, ut etiam ipse DEI Amor, qui nobilis admodum & suavis corde est, ex condolentia simul lachrymaret, dum illum plorantem cerneret, maximoperè admirans ingentem erga se Desiderij charitatem, desiderium ac bonam voluntatem, quandoquidem praegaudio & consolatione tam ubertim lachrymas emitteret: aitque ad illum: AMOR DEI: Obssecro, plorare desine, nec me cruciare pergas. Neque enim absque dolore, me amantis lachrymas cernere queo. Sed dic, ora, quis

H 2        tibi

tibi hinc in ædibus me demorari indicavit? DESID. Pastor quidam ovium, quem in itinere obvium habui, & viam mihi demonstravit, & tui apud me mentionem fecit. AMOR DEI. Quidnam de me tibi retulit? Quid verò causæ est, quare me tam impensè amas, tantoque mei desiderio teneris? Ea ne ex causa ita medligis, quòd ex aliis didiceris, multame amicis meis præstare bona, mihiique famulantibus ac obsequentiibus dona ingentia, grandemq; consolationem præbere solitum? DESID. Nequaquam: sed eo nomine sic te diligo, quòd illustris, nobilis ac bonus sis Dominus: tum etiani, quòd amicos tuos eò perducas, ubi DEUM videant, quâ nulla est in mundo major felicitas ac beatitudo. His auditis, mirificè Amori DEI tam sanctum Desiderij propositum, quo illum diligebat, arrisit, cœpitque eum amare vehementius. Porrò Desiderius: Hoc, inquit, mi Domine, admodum de-

demirari non desino, quod, cum tam  
eximus sis heros, tamque præpoten-  
tis Regis filius, te inquirentibus tan-  
tum facetas negocij, tamque ægrè te  
patiaris inveniri. AMOR DEI. Ne  
ita loquaris: plures hoc latet mysteri-  
um. Sunt namque, qui se putent,  
necdum me invenisse, agnovisse, vel  
percepisse, cum tamen ego illis pro-  
ximus sim, ipsique me pleni sint &  
abundent. Sunt item alij, qui sibi  
persuasum habeant, se jam reperiisse  
me ac obtinuisse, cum tamen à me  
longè distent, nec mei notitiam ade-  
pti sint. DESID. Conditiones tu-  
as officiumque tuum, precor, expli-  
ces, quò scire mihi liceat, utrumne  
conjunctus & vicinus tibi sim, an abs-  
te alienus. Siquidem te Domini &  
Amici loco habeo. AMOR DEI.  
Officium meum est, diligere DEUM:  
aiunt verò, me esse Cognitionis DEI  
filium. DESID. Qua ratione DEUM  
amas? AMOR DEI. Vehemens me  
tenet desiderium, illum toto corde,

H 3 to-

totâ animâ & cunctis viribus diligendi, & nihil non tentandi, quò illum sentire ac experiri queam, eo modo & gradu, quo illi placet, omnia ad ejus honorem, laudem & gloriam, & animæ meæ salutem referendo. Itidemque precor ac exopto, ut totus eum orbis ob illius infinitatem ac ineffabilem bonitatem cognoscat, utq; à creaturis omnibus honor illi habeatur, gratesque & laudes agantur. Atque unà cum hoc ipso desiderio meo vim quandam mihi adhibeo, ut ne in parvis vel magnis, paucis vel multis illum offendam, nec quicquā admittam, quod illi invisum sit, aut displicere queat. Quod si ita eveniat, ut ex imbecillitate mea illum offendam, mox ab eo veniam petere soleo, sicque lassa, haud secùs quam antè, inter nos amicitia instauratur. Atqui cùm Dominus meus tam nobilis, dulcis, pius ac bonus sit, neutiquam hoc primo gradu contentus sum, sed insuper alium sector, eum

vi-

videlicet, ut pro virium mearum exiguitate faciam & exequar, quicquid vel ipse, vel minimus ac infimus quisque hujus domus, ejus nomine mihi præcepit. Id verò ingenti cum reverentia, devotione, amore, gaudio, humilitate, maximeque bona voluntate, & quidem semper & ubique & in omnibus facere consuevi. Atque hinc nōsse mihi licet, quantum illum diligam, quando id ago, quod ipse jubet. Enimverò sic mihi persuasum habeo, nihil in toto mundo æquè illi gratum esse, etiamsi sit cum illo colloqui, illi officiosè famulari, aut præstare reverentiam, vel mira quædam agere, quam si id efficiam, quod aut ipse, aut illius vice vel nomine, quispiam alius minimè vanus aut mendax me facere juss erit. Ipse namque Dominus meus ait: Quānam putas, tua mihi possint grata esse servitia, aut te abs me diligi debere, si non facias, quæ præcipio tibi? Quānam affirmare potes, quod me diligas? Id

H 4 nam-

namque certum habere debes, nulla  
re alia æquè spiritum tuum te mihi  
posse conjungere & unire, aut volun-  
tatem tuam perinde meæ conforma-  
re ac subjicere, quām, si libenter &  
ex animo exequaris, quæ ipse jussero.

*Prosequitur adhuc Amoris D<sup>E</sup>I  
in eodem gradu officium.*

## CAPUT IV.

**I**N hoc eodem amoris gradu planè  
mecum constitui, ea omnia ex-  
equi, ad quæ efficienda ratione voca-  
tionis & officij mei obligatum me  
novi. Quando enim semel me ob-  
ligavi, (cujus me neutquam pœni-  
tet) in præceptum mihi jam transiit,  
quod anteà sine D E I offensione vel  
facere, vel omittere licuisset. Eam ob-  
rem officium meum diligenter per-  
pendere soleo, eaqué, quæ ad aliud  
pertinent exercendum meliusq; exe-  
quendum, semper quidem pro sapi-  
entum consilio, juxtaqué Scripta Di-

vi-

vina me gerens ac instituens. Certus namque sum , perplures eo nomine offendere Dominum meum , quod , quæ sui sint officij , quæq; illud requirat , ignorent. Si verò a perspecta habent , & tamen negligunt ac omittunt , planè deteriores sunt : quandoquidem non ignorantia aut imprudentia , sed mera malitia delinquent. Deinde quæ me servaturum juravi ac pollicitus sum , ( quibus servandis me maximè obligatum sentio ) ea summo studio perfectè exequi adnitor. Evidem Domino meo pollicitus sum , tribus virginibus , quæ hic demorantur , nempe Obedientiæ , Castitati & Paupertati fidem me servaturum , quas ille mihi ceu conuges & amicas meas proposuit & assignavit. Hunc manè semper & vesperi mecum pensitare consuevi , quinam illis ea die studiosius servire ac obsequi , impensisque placere quem , aīoque manè quidem ad animam meam : Age , perpendamus Anima-

H 5              mea,

mea , ut hac die erga tuas virginestis  
habitura , illisque placitura ac ob-  
sequutura. Serò autem sic eandem  
compello. Age, videamus Anima  
mea, ut hac die virginibus tuis servie-  
ris , fidumque te præstiteris : utrum  
ne aliquam earum molestiâ affeceris  
vel offendieris. Hac scilicet ratione  
omnem è conatum adhibeo , ut his  
ce virginibus fidum me servum exhi-  
beam. DESID. Quam ob causam id  
agis? AMOR DEI. È quòd Domini  
mei cubiculariæ sint : nec quisquam  
in illius cubiculum ingredi , aut cum  
eo colloqui possit , nisi hæ virgines  
aditum illi patefiant. DESID. Ob-  
secro , doceas me , quænam habeas  
spiritalia exercitia , quibus his virgi-  
nibus rectius servias , fidemque ser-  
ves. AMOR DEI. Tria quædam mi-  
hi Proposita sunt , quæ illis noctu-  
diuque offero & exhibeo , eaque me  
illis obsequi & inservire compellunt.  
Primum Propositum dicitur , Nihil  
exigas vel postules. Alterum , Nihil

con-

concupisca vel appetas. Tertium, Nihil cogites. Primum Propositum servit Obedientiæ, si jusculo quodam conditatur, quod Facere dicitur, tuncque appellatur, Nihil postules facere: quo edulio Obedientia sustentatur, quantoque illi id abundantius, purius ac nitidius offero, tanto apud Dominum meum majorem mihi conciliat gratiam & amicitiam, multaque de me bona illi commemorat, efficitque, ut animo in me propenso ac benigno sit. Hoc idem edulium, nempe Nihil postules, dum alio quodam condimento præparo, quod Habere dicitur: jam, Nihil habere postules, vocatur, atq; ipso alteram virginem, puta Paupertatem, sustento.

**D E S I D.** Cessa parumper, obsecro. Nihil igitur licebit habendum postulare, dum quare egeo? **AMOR DEI.** Non: nisi res sit valde necessaria. Si quid enim sit, quo habeas opus, est tibi Præfectus vel Superior tuus, qui vel per se, vel Officiales suos satis

H6 tibi



tibi providebit, ut nihil necesse sit, ut id ipse postules, quod te postulare non deceret. Nam qui totius Domus vel cœnobij curam gerit ex officio, is omnibus, sicut decet Prælatum vel Superiorem, necessaria procurabit, quò illi liberiùs & commodiùs DEO vacare, ac cœlestibus inhærere meditationibus possint, nec necesse sit singulos pro his atque illis expetendis esse sollicitos. Neque sanè mediocris ea culpa fuerit, si Superior eâ vel prudentiâ vel discretione prædictus non sit, ut subditis etiam non exigentibus res necessarias subministret. Itaque quod de postulando dixi, dupli ratione debet accipi, ut videlicet absq; culpa postulare possis: si, te non exigente, necessaria tibi non præbeant; quæ sanè res reprehensione digna videntur, maximè apud Monasticæ vitæ professores: deinde si id, quo indiges, multūm necessarium, non autem propriæ voluntatis sit. Nam quæ aliter te habent, in illis appetendis vel

su-

superfluitas, vel curiositas, vel tentatio sita erit. Neque dubites, sib necessitatis prætextu multa latere sçpè vitia, idque in rebus præcipue, quæ ad corporis nutricationem pertinent, ut est cibus & potus, vestitus, & id genus alia. DESID. Et quinam scire potero, utrum necessitatis, an propriæ voluntatis sit, quod expeto? AMOR DEI. Siquidem illo carere, & absq; illo vitam agere possis, neque ob id grande aliquid vel notabile corporis vel spiritus detrimentum, sive nocumentum aut periculum sustinere cogaris, vel inde emergere queat. Nam alioqui, si certò eridas, non tamen fallendo te ipsum, ejusmodi inde tibi imminere periculum vel nocumentum, tunc non petere, culpa fuerit: petere autem, meritum, si in DEUM referas. Sin autem absque illo vitam possis sustentare tuam, nec magno inde damno vel periculo affici, etiam si non nihil ob id molestiar, laboris ac tædij devorare oporteat, ita tamen,

men , ut moderationis sive discretio-  
nis limites propterea non excedan-  
tur, jam quidem non postulare , tam-  
etsi non nihil necessarium sit , aut esse  
videatur , magnæ virtutis & meriti  
est, licet alioqui jure & absque culpa  
postulare vel appetere id posses. Si  
quidē beatum ego illum prædico ho-  
minem , qui quipiam causâ Amoris  
DEI perpetitur. Atqui , si ejusmodi  
sit, quod postulare velis, ut illo abq;  
corporis vel spiritûs incommodo vel  
damno facile carere possis , propriæ  
id voluntatis esse existimes, etiam si  
sanctæ voluntatis & justæ causæ præ-  
textu sese obtegat. Peccata namque  
non semper manifesta, sed saepius sub  
pietatis vel justæ causæ specie sese in-  
gerunt. Atque ex his nôsse licebit,  
dum quipiam expetis, num id ex  
necessitate, vel propria voluntate  
proficiscatur. Et ne quis suópte judi-  
cio & rei specie fallatur, cum primis  
illi necessaria fuerit studiosa ac dili-  
gens exploratio , & usus vel experi-  
men-

mentum virtutum. Quòd si iis caret, utilissimum fuerit, ut juxta sapientum ac expertorum virorum, & sacræ Scripturæ consilia sele gerat ac moderetur.

*De reliquis duobus Amoris D<sup>E</sup>I  
Propositis, nempe, Nihil deside-  
rare vel appetere, & Nihil  
cogitare.*

## CAPUT V.

**A**MOR DEI: Primo quidem Proposito, quo duæ virgines, puta Obedientia & Paupertas, sustentantur, succinctim explicato, etiam reliquorum duorum, nempe Nihil appetas, & Nihil cogites, conditio- nes ut explicem, oportet. Certum ergo habeas, antè dictum primum, Propositum, quod est, Nihil postu- les, non aliundè oriri, quàm ex se- cundo hoc, Nihil appetas. Certum est enim, non aliundè postulationem nasci, quàm ex cupiditate & deside- rio.

rio. Ablatâ autem & extirpatâ causâ, ut nihil desiderare velis, fructus itidem & effectus, qui est Postulare, extinctus & elisus est: atque eo ipso id, quod illi contrarium est, id est, Non postulare, efficitur. Hoc igitur alterum Propositum est, quo Castitas sustentatur, quæ est tertia Virgo, cuius est officium, Nihil mundanum & carnale appetere. Sed quia herba ista aliam habet, unde emergit, radicem, quæ Nihil cogitare est, ( non enim potest appeti, quod priùs non sit cogitatum ) tertium insuper Propositum adjungo, quod est, Nihil cogitare. Sed cogitare hîc accipi debet de ea cogitatione, quæ perseverans & fixa est cum rationis ac voluntatis consensu & complacentiâ. Nihil enim omnino cogitare, in hominis potestate situm non est. Potest autem homo cogitationibus malis non dñm inhærere, sed ad DEum citò se convertere. Atqui cùm herba isthac, puta Cogitare, aquâ quâdam, cujus

VO-

vocabulum est, Videre, irrigetur & foveatur, pulverem quendam, qui Oculorum firma custodia dicitur, his sanctis Propositis adhibeamus oportet. Is enim oppidò illi confert. Hæc verò tria Proposita non solùm animam meam à cunctis rebus mundanis, ab omniq; propria voluntate, & labo ac maculâ expurgant, sed etiam ( ut Dominum meum ferventiū amem ) magnam mihi cordis munditiam ac puritatem conciliant, omniq; me privato amore exuunt, totumque Domino meo me uniunt & conjungunt. Ad eademque tria Proposita reliquas omnes exercitationes spiritui servientes reduxi, tam eas, quæ circa Humilitatem, quæ m quæ circa cæteras virtutes versantur: quod in eis perfectionem sitam esse noverim. Ne verò tibi persuaderi sinas, frustra metribus antè memoratis virginibus obsequiosum me præbere: siquidem magnam erga me illarum gratiam & benignitatem experior, cunctisque me

me bonis cumulant & augent. Una  
earum, quæ Paupertatis habet voca-  
bulum, insigni quodam (ut vocant)  
clenodio vel ornamento nuper me  
affecit. DESID. Precor, ejus videndi  
copiam mihi facias. Ubi id habes?  
AMOR DEL. Duobus id asservo locis,  
in corde, & in cubiculo meo. Tanta  
autem ejus magnitudo preiumque  
tam ingens est, ut meo illud in corde  
retinere nequiverim, donec omnem  
inde rerum mundanarum amorem,  
affectum & appetitionem exclusissem  
ac eliminasse, itidemque nec in cu-  
biculo illud meo locum habere po-  
tuerit, donec cuncta inde superflua &  
curiosa rejecisset, non nisi Crucifixi  
imagine & paucis codicibus retentis.  
DESID. Quod hujus clenodij nomen  
est? AMOR DEI. Nomen illi est,  
Nihil planè, estque præcipuus Pau-  
pertatis thesaurus, quæ totius orbis  
opulentissima Domina est, ut quæ  
tantum habeat thesaurum suum,  
quantum ipsa velit.

De

*De eodem Amoris DEI Officio, &  
de Oratione in eodem gradu.*

## CAPUT VI.

**I**N antè dicto Amoris officio, quod est, Facere id, quod Dominus meus jubet, & officium meum exigit, quædam circumstantia sive conditio adsit, oportet, ea videlicet, ut, si quando ex officio ab illo mihi demandato, & in eo gradu, quo ipse me constituit, ut scilicet ejus cubicularius sim, ad ipsum veniam, vel illi ministratus, vel aliquid ab eo petiturus, aut cum illo collocuturus, quantâ maximâ possum cordis humilitate & puritate illi me præsentem exhibere connitar. Nam quò majori cordis munditiâ prædictus sum, eò purius & clarius eum contueor & cognosco. Fratrem quoque meum, Timorem DEI, obsecrare soleo, ut unà cum Amita mea, nempe Reverentiâ mecum perget. DESID. Ecquid facis, ut Reve-

ren-

De

rentia tecum eat? AMOR DEI. Perpendo mecum, quis ego sim, & quis sit Dominus meus. Ejus sacrosanctam cogito Majestatem, eumque jure meritoque timeri oportere, ut potè omni timore, reverentiâ, laude dignissimum. Ad hæc penitare consuevi, beatos omnes spiritus coram ipso cadere in facies suas, eumque adorare & benedicere, atque tantam tamque præcellentem Bonitatem ac Majestatem ultra omnem modum intra se admirando, & collaudando, extra se rapi, & in DEUM ipsum quodammodo transformari. Præterea attendere soleo, ut illi pectus & cor meum, cogitationes, voluntas ac propositum meum planè perspecta sint, & ut secreta ac occulta mea melius, quam ego ipse, nōrit. Itemque ut pro sua divinæ arbitrio ac beneplacito voluntatis cuncta agere, efficiere, infringere, mutare ac obolare possit, vitaque & mors, esse & non esse, totiusque mundi æterna salus si-

ve

ve servatio vel damnatio in illius manibus sit. Atque etiam mecum attendo, ut ipse totus & omnino bonus, & præcipua, suprema ac purissima bonitas sit : quod sanè dum ritè perpendo, nonnunquam corde contremisco, exhorreo ac propè deficio : maximè ubi simul aspicio, me tam improbum, impurum, vilem, abominabilem, & plùs quàm mortuum canem, putentemque peccatorem id mihi sumere officij, ut tantæ Majestatis Domino familiariter colloqui ausim, quodque usque adeò excelsa & illustrissima Majestas tam propè ad se accedere, secumque miscere sermonem, & cibum capere me patiatur, perinde ac si magna illi amicitia conjunctus sim. Sæpiùs quidem id illi hoc vel simili modo propono : quorsum, mi Domine, tibi opus est, ut improbi ac putidi peccatores coram te assistant? Decétre, mi Domine, ut tam indigni & perversi homunciones tibi famulentur? Atque ubinam ho-

honor est & reverentia, quæ Regis  
Majestati tuæ conveniunt atque de-  
bentur? DESID. Eequod, oro, ad-  
huc ab illo responsum accipis? AMOR  
D'E I. Non satis compertum habeo,  
præterquam quod præ gaudio me  
plorare facit, dicitque mihi: Ne istud  
magnoperè cures, nec te res ista per-  
turbet, cùm hoc tibi officij ipse non  
comparaveris, neque ambieris, aut  
tete ingesseris, sed à me eò vocatus &  
adscitus sis. Cur autem ad id te vo-  
cā-  
rim & assumpserim, mihi planè con-  
stat. Tu verò in eam fac curam in-  
cumbas, ut tuo probè fungaris mu-  
nere, & quæ id à te exigit, pro viri-  
bus studiosissimè exequaris, ac dein-  
de nihil admodum hac ex parte soli-  
citus sis. DESID. Quid, quæso, dicas  
illi, ubi ad eum veneris colloquendi  
gratiâ, junctis tibi comitibus Hu-  
militate, Timore & Reverentiâ? AMOR  
D'E I. Primò quidem eas absolvo  
Preces sive Officium divinum, ad  
quod persolvendum hoc vitæ insti-

tu-

tutum, meaque vota & professio me obligant, idque non ex tristitia aut necessitate, neque nolens ac invitus, sed quanta maxima possum attentione, diligentia, devotione, hilaritate, reverentiâ ac bona voluntate. Et quamvis ad ejusmodi preces adstricatus sim, sed necessitatem muto in voluntatem, libenterque eas per solvo. Deinde ut quippiam ab eo petam, atque ad id præstandum mihi eum permoveam, totis enitor viribus ipsum laudare, multisque modis illum prædicare & laudibus vehere non desino, certus id illi gratum & acceptum esse. Dum autem eum laude afficio, mira illi ac stupenda, quæ egit opera, illi commemoro, in illis ipsis exultans, meque oblectans, itidemque me gerens in illius prædicanda potentia, sapientia ac bonitate. Adhæc ingentem gratiam & beneficia, quibus suos affecit milites & seruos, illi recito, ob eadem laudans illum ac benedicens. Neque immensam

sam illius prætereo miser cordiam,  
quam semper in suos declaravit ho-  
stes, atque etiamnum declarat, plu-  
rimumque stupeo illius generosita-  
tem ac nobilitatem, quod non modò  
meritas de iis non sumat pœnas, sed  
& sua eis impertiatur dona, multisq;  
modis gratificetur. Prætereà laudes  
gratesque illi ago pro omnibus illis  
bonis, quibus in seipso prædictus est,  
virtutésque ac decora ejus ipsi enu-  
mero, pulchritudinem, sapientiam,  
bonitatem, &c. ob eadem laudibus  
eum prosequens, gaudensque & ex-  
ultans, tale tamque ingens bonum  
eum esse. Et id quidem sæpius ago,  
voluntatem illius hac in parte satis-  
habens explorataim, neq; ambigens,  
quin illi gratum sit, velitque homi-  
nem secum, id est, cum ipso D E O  
versari, & de rebus suavissimis, ju-  
cundis ac lecretis miscere sermonem,  
quas nimirùm eos latere certum est,  
qui earum incuriosi sunt, neque in-  
ejus secretum volunt ingredi cubicu-  
lum:

lum: tametsi alioqui in ejus demo-  
fantur ædibus, eique famulantur.  
D E S I D. Quiamobrem cunctis hisce  
encomiis eum prosequeris? A M O R  
D E I. Eò videlicet, quòd, quantò  
eum magis effero ac extollo, tantò  
magis mihi displico, meque despi-  
cio, deprimo ac vilipendo. Quod  
quàm illi gratum sit, dici aut credi  
non potest. Adeoque hæc illius vo-  
luntas est, ut ipsius bonitatem, excel-  
lentiam ac nobilitatem, nostramque  
è diverso malitiam, exiguitatem ac  
miseriam perpetim ob oculos gera-  
mus. Et licet quantâ maximâ possim,  
laude ac honore eum prosequar, cer-  
tus sum, me neutiquam falli vel men-  
tiri: siquidem longè ipse & nobili-  
or, & excellentior, atque potentior  
est, quàm vel ego ipse, vel simul crea-  
turæ omnes tum Angelicæ, tum  
humanæ, allequi vel cogitatione  
complecti queant.



I

De

*De Amoris DEI Officio in eodem  
altero Gradu, & prosequutio eo-  
rum, quæ de orandi modo  
dicere cæperat.*

## CAPUT VII.

**A**MOR DEI. Deinde ubi pro viribus illum laudare & exaltare studui, animam illi meam, totamque voluntatem offero, una cum præcipuo quodam proposito meo, isto videlicet, quod ob nullam rem mundi ipsum offendere aut molestare velim, simulque obnoxie precor, in hac me voluntate servare ac confirmare dignetur, quando sine illo neutrquam in ea perseverare queam. Post, omnis injuriæ & molestiæ, quam ipsi intulerim, veniam precor; atque etiam, ut nihil præter se cogitare, intelligere, & amore prosequi me sinat, oro. Sed & id obsecro, quandoquidem me talem in suum scrum & amicum, idque in tam cel-

fa

la functione admittere dignatus est,  
ut sanctum humilitatis spiritum mihi  
præbeat, qui animam meam à cun-  
ctis ipsi invisis ac displicantibus, atq;  
ab omni malo abstrahat & avertat,  
ne famulatus meus ipsi injuriam &  
ignominiam adferat, sed potius gra-  
tus sit & acceptus. Peto itidem, ut,  
quibus me scit habere opus, sive quæ  
mihi necessaria sint, quibusque pro  
suo honore & beneplacito, & ut ipsi  
magis placeam, me vult esse prædi-  
tum, mihi largiatur: idque non ali-  
am ob causam, nisi ut me in se vivere  
ac mori sinat, nec ut meritus sum, à  
sua me facie projiciat. Postea etiam  
pro illis rogo, quos impensiùs amo,  
quibusque sive corporaliter, sive spi-  
ritualiter me amplius obligatum sen-  
tio, nec non pro tota hac domo, imò  
etiam creaturis omnibus, ut eis gra-  
tiam præstet & misericordiam, uti  
ipsum omnes, quemadmodum par-  
est, cognoscant, ament, venerentur,  
laudent ac benedicant. Et hæc qui-

I 2 dem

dem omnia syncera cordis puritate  
illi proponere adnitor. DESID. Ec-  
quid agis, ut hac cordis puritate illi te  
exhibeas? AMOR DEI. Quatenus  
vires sinunt, cor animumque servo &  
custodio, invigilans cogitationibus  
meis, ingentemque animæ meæ cu-  
ram gero, unaque sensus meos, quan-  
tum maximè possum, cohibeo & ob-  
servo, propositam mihi semper ha-  
bens ac retinens simplicitatem, qua  
visa omnia candidè in bonam partem  
interpretatur. Quòd si ab omni metu  
velim esse immunis & securus, apud  
Dominum meum permaneo: cui  
quidem coram adesse, adhærere, &  
colloqui, ab eoque consilia experere,  
præcipuum meum bonum & gaudi-  
um, potissimaque voluptas & conso-  
latio est. Neque unquam pace, quiete,  
securitate perfruor, neque con-  
tentus esse queo, nisi dum illi adsum.  
Atque hac ex causa mecum ipse con-  
stitui valefacere omnibus, ipsi com-  
morari, ipsi adhærere, nunquam ab

eo

eo recedere, nisi ipse juss erit. DESID.  
Tamen utile, bonum & necessarium  
est, nonnunquam lectioni dare ope-  
rat. AMOR DEI. Imò sanè bonum  
est quandoque legere, non eo animo,  
ut doctus & sciolus efficiaris, sed ut  
DEum, ejusq; vias possis habere per-  
spectas, DEumq; cognoscas & ames.  
Huc verò non multis mihi opus est  
codicibus. Hoc unum specto, volo  
& cupio, ut anima mea amorem in  
DEum transferam, totumque affe-  
ctum cordis, omnemque rationem &  
intelligentiam ipsi adjungam, in  
ipsumque referam: siquidem illius  
mihi sufficit amor. Is me cuncta do-  
cebit, quæ scire me conveniat: atque  
in ipso eum amandi & non offenden-  
di itinere, plura mihi secreta ac my-  
steria pandere potest, quam vel codi-  
ces omnes, quos totus habet orbis.  
Majorem quoque animæ consequor  
puritatem, timorem, devotionem,  
reverentiam, compunctionem, for-  
titudinem sive firmitatem, atque er-

ga carnem severitatem, quando illi  
adsum, quam dum lego. Neque ne-  
scius sum, ne uitquam illum à me ra-  
tionem exacturum, quantum lege-  
rim aut studuerim, sed quantum ipsū  
amaverim. Nec tamen hisce rationi-  
bus hoc efficere velim, nihil penitus  
legendum esse, illis præsertim, qui  
viam Domini, & spiritus dominium  
nesciunt, cogitationesque & verba &  
actus suos discernere non noverunt.  
His namque admodum necessarium  
est, ut multo tempore lectioni dent  
operam, ac spiritus & mentis discant  
exercitia. Ut enim grandis est stulti-  
tia, temeritas & Regis contumelia, si  
rusticus aliquis, qui Aulæ Regiæ usus  
& mores, dicendiq; modum nesciat,  
coram cunctis Regis Principibus ac  
Magistratu, cum ipso Rege colloqui  
velit : Si namque inter dicendum  
usitatis, agrestibus ac stolidis utatur  
verbis, non potest non magno patere  
despectui ac ignominiae, adeò ut Rex  
illum foras expelli jubeat, præstaretq;

null-

nunquam eum Regem accessisse. Itidem & in spiritualibus rebus sese habet. Illis autem, qui jam legendo & audiendo DEI ac rerum divinarum sunt notitiam adepti, multò & utilior & præclarior est orandi, quām legendi exercitatio, ut qui dicendi jam periti sint, ususque & **mores** nōrint, quibus in spirituali curia utendum sit. Porrò ubi jam Domino meo coram assisto, multam mihi curam adhibeo, ne caput, oculos & tergum huc illūcque volvam. Non enim insigni Majestatis illius contumeliā vacat, si quis dum illi colloquitur, aspectum suum aliò conferat. DESID. Apertiùs id mihi dici velim, namque non satis hoc assequor. AMOR DEI. Quando mihi sermo est cum Domino meo, si tum cogitationes, rationem & intellectum meum aliò transferam & adhibeam, dorsum illi verto, non faciem. Eam ob rem cùm persuasum habeam, perpetim eum me aspicere, nec unquam suos à me obtutus avertere;

14 at-

attendereque, quid dicam, quâ possum reverentiâ, devotione, amore & attentione illi assisto. Denique laudes, gratesq; illi ago pro cunctis beneficiis mihi & creaturis cæteris ab illo præstitis, eaque læpius ad memoriam revoco, illiq; recenseo, certus nimirum, nôlle eum, ut ipsi ingratus, & donorum ejus immemor sim.

*De tertio Amoris Gradu.*

**CAPUT. VIII.**

**A**MOR DEI. Tametsi jam pri-  
mum amoris gradum, nempe  
ut Dominum meum diligam, id est,  
ipsum non offendam, itemque alterum,  
ut cuncta illius iusta exequar,  
prosecutus sum, non tamen his con-  
tentus sum, eò quod meus erga illum  
amor tam ingens est, ut insuper ter-  
tium adhibuerim gradum, eū scilicet  
ut cuncta illa efficiam, quæ illi place-  
re & accepta esse noverim, vel cogi-  
tare

tare queam. DESID. Unde scis, ca te agere, quæ illi placeant? AMOR DEI. Duo sunt, unde id scire liceat, puta, si diligam, quæ ipse amat: & habeam odio, quæ odit. Quod ad primum attinget, ut diligam, quæ diliguntur ab illo, equidem illius amo Filium, ut propter omnium, qui unquam fuerint, longè pulcherrimum, suavissimum, nobilissimum, ac sanctitate maxime conspicuum, Patrique per omnia, quam simillimum, atq; adeò obtenterantem, ut nullus neque fuerit unquam, nec futurus sit filius æquè mortigerus. Quem Pater haud secùs, quam seipsum diligit, eò quod multò ipsi similior sit, quam ullus unquam filius suo genitori. Eaqué unio & charitas, quæ est inter Patrem & Filium, tanta est, ut ambo non nisi unum sint, uniusque voluntatis, indissimilis potentiae, ejusdem cognitionis. Et quamvis personis distincti sint, sed essentia unum sunt. Huic autem Filiῳ pius Pater suæ bonitatis manibus

vestem, qualem ovium Pastores habent, confecit, quâ indutus Filius, ex Patis Regis penetralibus processit, at nihilominus semper cum illo permanens. Atque hoc pacto in his degit ædibus, nobiscumque conversatur. Siquidem aliter eum conspicere non possemus. Porrò hac veste indutum, cùm eum Pater cum sportella quadam, sive perula viatoria, per totum orbem mitteret, in hanc quoque eremum pervenit, ut oves suas dispersas ac dissipatas requireret. Cumque per hanc pergeret solitudinem, Dominus Pater permisit eum necari à lupis, & devorari à canibus, nec ei opem ferre voluit, licet potuisse: sed crudelissima ac acerbissima eum morte voluit à lupis affici, quæ illi longè majorem, quam ulli unquam alteri cruciatum attulit, eò quod tenurimo corpore, utpote Regis filius, esset. Hæc autem omnia Dominus noster ex immenso erga nos amore fecit, uti omnes, qui in ejus demo-

12-

ramur ædibus , illius charitatem habeamus cognitam & exploratam , atque ita vicissim & nos illum amemus , quando prior ipse nos dilexit adeò , ut nec proprio suo pepercerit filio , sed pro nobis omnibus tradiderit illum .  
Dum hæc Amor D E I commemora-  
ret , Desiderius totus corde compun-  
ctus & transfixus , ubertim lachry-  
mas fudit . Atque Amor DEI cœptum  
persequens sermonem , quamvis , ait ,  
DEusPater Filium hunc suum morte  
affici pernisiit , nihilominus tam im-  
pensè illum amat , ut immensâ Om-  
nipotentiâ suâ citò eum excitârit è se-  
pulchro , multò jam illustriorem , ac  
præclarè triumphantem , adductis sci-  
licet secum ovibus , quas quæsitus  
venerat , aliisque in hac eremo , ut in-  
terim sui cognitione pascantur &  
pinguelcant , relicts , perpetuam ac  
pervigilem illarum agens curam &  
solicitudinem . Ita demum in Regis  
Patris reversus penetralia , ad ejus se-  
det dexteram , pro nobis omnibus il-

I 6      lum



lum interpellans & supplicans, nimo scilicet nostri devictus amore. Evidem sic sentio, nisi illius causâ parcitum nobis esset, jam pridem his tectis profligati essemus: in tantum miseri ac improbi sumus; adeoque negligenter ac pigrè illi servimus, ejusq; planè oliviscimur, eum contemnimus, & tam parva nobis illius cura est & recordatio. Sed Pater Omnipotens tantoperè hunc amat Filium, ut meo judicio nihil in hoc mundo gratius illi esse queat, quam ut secum quis hunc ipsum suum amet Filium. Quapropter operam dare soleo, illum ut amem, & quæ illi placent, faciam. DESIDER. Quid est, quo illumamas, eiq; rem gratam facis? AMOR DEI. Videlicet illius vitam sanctissimam, laboresq; & doles, mortem acerbissimam, sacrâsque institutiones commemorando, & quoad possum, moribus illius me conformando. Quiem enim Dominus meus Filij sui vitam studiosius ac

ve-

verius imitari conspicit, eum etiam  
chariorem habet. Atque hac de cau-  
sa voluit eum venire ad nos, nobis-  
cumque degere, ut, quemadmodum  
vivendum sit, nos edoceret, qui prius  
vitam nihil à beluina differentem  
agebamus. Itaque ceu speculi loco  
nobis eum Dominus proposuit, ut,  
quisquis nōsc̄e volet, utrum ea, quā  
vult, agit & omittit, bona vel mala  
sint, in Filij sui vita ceu speculo con-  
templetur & cognoscat. Neq; quic-  
quam totus habet orbis, unde certius  
id addisci queat. Est autem & aliud  
quiddam, quod Dominus meus dili-  
git, nempe Puer meus, qui Amor  
Proximi dicitur: quem usque eō  
Dominus meus charum habet, ut  
quicquid illi fecerimus, sive id bo-  
num sit, sive malum, id te affirmet  
haud aliter accepturum, quām si ipsi-  
met factum sit. D E S I L. Quānam  
hunc puerum diligis? A M O R D E I.  
Perinde ut meipsum. Primò quidem  
ita mihi persuadeo, meliorem eum  
esse,

esse, quām sim ipse ego : & quamvis excellentiori fungar munere , tamen in omnibus, quæ sunt virtuti consentanea, illi morem gero. Caveo etiam, ne qua ratione illum affligam aut contristem, & quicquid possum amoris ac benevolentiae in illum declaro. Nihil de illo sinistrum suspicor , sed eum potius excuso, Nihil improptando illi loquor : vitia & defectus ejus naturales libenter dissimulo & perfero. Miseratione multa animiq; condolentiâ illum in malis prosequor. Absenti non obloquor nec obtrecto, & ab aliis quibusvis id fieri non sino. Opto & precor , ab illo Dominum meum , quām à me, amari vehementius , & aut perinde bonum, ut sum ego, aut si malit , etiam me meliorem illum à D E O effici. Nullâ prorsus , neque ob spiritualia , neque corporalia dona illi divinitus præstata , neque ob aliquid eorum , quæ mundus haber , erga eum invidentiâ torqueor : sed bonis ac pro-

spe-

speris illius rebus lætor, atque adver-  
sis & malis ex animo doleo. Adhæc,  
cogito illum esse Angelum DEI, me  
verò indignum, qui illius mancipi-  
um sim. Idque eā causā facio, quod  
certus sim, illum à Domino meo ve-  
hementer amari. Itidem amore pro-  
sequor ea, quæ communitatis sunt,  
quorum ingens me zelus obtinet, eò  
quod ad Domini mei cultum, famu-  
latum & honorem, atque ad Domūs  
suae conservationem pertineant. Un-  
de cura pervigili id ago, ne quid  
amittatur vel pereat, ex iis maximè,  
quæ ad sacræ religionis, cæmonia-  
rum, constitutionum, & Canonis  
ipsius observantiam pertinent. Quæ  
licet quidam non magnipendant, ta-  
men ipse planè persuasum habeo, ni-  
si gratum esset D E O ea servari ac  
retineri, neutiquain Spiritum san-  
ctum ea fuisse instituturum. Itaque  
etiam minimas quasque cæmonias  
observandas duco, cogitans, eas ce-  
dere ad cultum & honorem DEI: &  
qui-

quidem promptè libenterque omni  
cum humilitate ac reverentia eas ser-  
vo & perago. Atque hanc interim  
cognitionem animo gero, siquidem  
ipse Dominum meum non honorem,  
studioseque colam, & officiosè inser-  
viam, grandiè honoris & cultus ac  
famulatūs ejus zelo detinear, quis  
tandem id facturus sit, quando ego  
præ creaturis omnibus illi me obliga-  
tiorem sentio? Quòd si princi-  
pum & Magnatum famuli dominis  
suis tam accuratè, tantoque studio &  
animi attentione obsequuntur & ser-  
viunt, quidni & ipse Domino meo  
serviam, qui me suum cubicularium  
& familiarem esse voluit? Nimirum  
si totus ab ejus servitio deficiat mun-  
dus, nec quisquam supersit, qui ei in-  
serviat, equidem ad extremum  
usque spiritum ego illi fidus  
perseverabo.



De

De illis, quæ Amor D<sup>E</sup>I adit, &  
epilogus officij illius.

## CAPUT IX.

**A**lterum duorum illorum, quæ  
antè dixi, quibus Domino meo  
placeo, est odisse, quæ ille oderit.  
Duos igitur Dominum meum hostes  
habere mihi persuadeo, nempe Mun-  
dum & carnem meam: unde planè  
mecum deliberavi, eosdem odire ex  
animo, nec ullam cum eis inire ami-  
citiam vel pacem: utque hoc propo-  
situm firmius exequar, aliud præte-  
rà adhibui, nunquam scilicet cum  
illis me oblectandi vel recreandi,  
nunquam cum illis miscendi collo-  
quia, aut versandi familiariter, nisi  
Dominus meus jusserit, cuius præce-  
ptum majoris apud me ponderis est,  
quàm propositum meum. Itaque  
præfectum Domus hujus obsecravi,  
ut nunquam me, ne recreationis qui-  
dem aut oblectationis causâ in oppi-  
da

da vel regiones, aut inter homines  
emittat: siquidem ab ea re sum valde  
alienus, & nihil pejus odi: at nihilo  
secius dum id imperat, parere ceesse  
est. Tametsi verò interdum Domi-  
nus meus certas ob causas ad Mun-  
dum exire me jubet, vult tamen, ut  
quām possim celerrimè ab illo me  
expediam, domumque revertar, ne  
scilicet dolis fraudibusque ejus capi-  
ar, & inquier: certus nimirum,  
quantumcunque bene se quis gerat,  
recteque faciat, plus tamen ex Mun-  
do damni quām lucri sāpē reportari.  
Eadem ratione vitia & immunditiam  
meam, motus malos, pravaque desi-  
deria, passiones sive perturbationes  
& improbas propensiones odio pro-  
sequor, iisq; me laborare plurimum  
doleo, non ignarus, quantum Domi-  
no meo invisa & neutiquam grata  
sint. Atque eam ob rem ex amore  
perpetim me emendare connitor.  
Præterea ab illis omnibus, qui in his  
demorantur ædibus, ob illius amo-

rem

rem me abstraho, præterquam ubi  
charitas vel necessitas aliud postulat.  
Neque id ea mente facio, quasi eos  
yilipendam, aut mea consuetudine  
& familiaritate indignos arbitrer,  
(nam ut antè dixi, eos meo in ani-  
mo pro sanctis & angelis habeo) sed  
quòd me potius indignum putem, qui  
illis adsim, aut terram, quam calcant,  
osculer. Non ergo, nisi jussus, cum  
iis conversor. DESID. Cur, obsecro.  
ita agis? AMOR D E L. Hac ex causa.  
quòd hīcē temporibus Religio sacra,  
ut plurimū pessum abiit, ob nimi-  
am Monasticæ religionis Professo-  
rum, nedum inter iplos, sed etiam  
cum secularibus hominibus, conver-  
sationem & familiaritatem. Quo sit,  
ut tam rara devotio, oratio, mentisq;  
collectio sit. Enimverò Cœnobia  
quædam jam non nisi Principum &  
Magnatum palatia sunt, soloque no-  
mine & habitu eorum incolæ reli-  
gionem præ se ferunt, nihil nisi de re-  
bus vanis & mundanis tractantes &

con-

confabulantes : estque tam rara & exigua apud quosdam hodie sanctimonia & religio , ut propemodum non nisi in choro DEO vacaturi conveniant, extra quem de seculi tantum rebus & rumoribus colloquuntur , adeò semper animo distracti , ut ad DEum sese adjungere & convertere nequeant, cùmque ad chorum ipsum inviti & propè coacti accedere & psallere jubentur, non se latis citò expedire ac inde recedere posse putant, atque ita preces & psalmos altissimis plenos mysteriis, tenui cum devotione & reverentiâ lexitant & decantant , corde animoque nonnisi ad finem vel ad culinam spectantes, utcunque cætera eveniant. Quæ quidem res usque adeò eos à vera sanctitate efficit alienos. Et quia neque DEUS , neque quæ DEI sunt, illis sapiunt, neque ullo DEI desiderio vel amore tenentur , DEU Sitidem eos nescit, sed odit potius. Deliberavi igitur , quandam mihi efficere consue-

suetudinem, atque operam dare, ut  
solus permaneam, & orationi vacem,  
quo anima mea in DEO & illis, quæ  
DEI sunt, delectari incipiat, utque  
illum probè amare discam, sicut re-  
verà æquissimum est, quando eâ gra-  
tiâ mundo valefeci, atque huc me  
contuli. DESID: Alij te singularem  
appellabunt, oculosque in te suos  
semper intendent. AMOR DEI. Id  
ego susque deque fero. Non enim  
hominibus placere velle debeo, ma-  
xime cùm id DEO repugnat sive di-  
splicet: modo ne cui scandalum vel of-  
fendiculum sim, quicquid libet, sen-  
tiant de me, alij vel loquantur. Id,  
quod ago, meum est officium. Si  
igitur me obtinere appetis, fac,  
quod ipse feci.



ut

*Ut Amor D<sup>E</sup>I, Desiderium in-  
t̄edes introduxerit.*

## CAPUT X.

**I**NTEREA Desiderius stupebat satis, secumque diu cogitabat ea, quæ ex D<sup>E</sup>I Amore audierat, atque ad eundem. **D E S I D.** Ubi hæc omnia feceris, estne, quod verear is aliquem? **AMOR D<sup>E</sup>I.** Imò sanè: magno studio & per quam seriò mihi curandū, ne ex recte factis meis inanem gloriam aut propriam existimationem admittam. Si namque iis locum præberem, Dominus meus confestim ex his me profligaret ædibus: itaque matrem meam Humilitatem semper mihi comitem à latere retineo. **D E S I D.** Quæso, in domum me introducas. **A M O R D<sup>E</sup>I.** Veni tecum. Jam enim diu satis apud me fuisti. Evidem ad alium quendam comilitonem meum te perducam, cuius est officium dignius & celsius, atq; meum.

um. D E S I D. Ecquod illi nomen est? AMOR DEI. Desiderium DEI appellatur. Pergebat inde alacri & lato animo Desiderius, DEI Amore comitatus, ad inquirendum DEI Desiderium: eoque reperto, ait illi: Túne Domine mi, DEI Desiderium es? DESIDERIUM DEI. Ego sum. Quid istuc petis? Visne aliquid? D E S I D. Velle, me famulum habere dignareris. Delectabatur Desiderij bona voluntate Desiderium DEI, aitque ad eum: DESIDERIUM DEI. Siquidem mecum degere volles, ab Amore DEI fratre meo probè latis institutus & instructus sis oportet. Ex illo namque vino, quod ex DEI Amoris dolio redundat, DEI Desiderium efficitur. Ne igitur ipse tibi imponas, vide, ut DEI Amore bene antè instructus sis & plenus. D E S I D. Demoratus sum Domine, apud Amorem DEI, qui de omnibus, quæ me facere oporteat, me instituit, quæ pro viribus, divina fretus ope,

exe-

exequi conabor. Certum autem te reddere non possum, utrum absque ulla ambiguitate D'E I Amore prædictus sim, nec ne: quando ipsi soli id constar, quis eum diligat vel non. Satiusque est hac in parte, me demittere ac humiliare. De me quidem nihil certi affirmare tibi queam, quidnam habeam, hoc uno cane, id est, Bona voluntate, excepto, quem tamen nec ipsum mihi ceu proprium vendicare ausim, cum dono mihi datus sit. Placebant hæc Desiderij verba, DEI Desiderio, præsertim quod sibi Desiderius magnum D'E I Amorem tribuere non auderet. DESID. Hoc nunc oratuin te velim, mi Domine, tuas mihi conditiones & officium ut explices. DESID. DEI. Quem admodum ex magna sui cognitione ad grandem sui contemptum & odium, & ex magna D'E I cognitione ad magnum D'E I Amorem homo pertingit: itidem ex multo DEI Amore ad majus D'E I Desiderium perducitur.

tur. Qui verò me adeptus est, nihil  
hujus mundi appetit. Tantam enim  
animo illius adfero generositatem &  
præstantiam, ut se dignorem putet,  
quām qui quippiam appetere debeat,  
præter summum illud optimum ac  
præclarissimum bonum, id est,  
DEUM ipsum. Imò etiam excel-  
lentissimum & nobilissimum inter-  
omnes hujus mundi proceres eum  
efficio. Nam quamvis alioqui infi-  
mo sit genere & obscuris natalibus  
ortus, tamen regem eum facio. Qui  
me præditus est, nihil nisi DEUM  
cogitat, nihil nisi DEUM loquitur,  
eò scilicet, quòd ubi thesaurus illius  
est, ibi sit & cor ejus. Quod au-  
tem quispiam cogitatione comple-  
titur, id etiam ore profert. Quæ  
verò ore promit, animi desiderium  
& affectus indicant. Evidem anima  
sanctæ, quæ ex desiderio vivit,  
esca & refectio sum: atque in hac  
charitatis domo præcipuam obtineo  
dignitatem, agoque Ostiarium in-

K te-

terioris cubiculi ejusdem Charitatis,  
factaque mihi potestas est, quos ve-  
lim amicos meos huc introducendi.  
Ego h̄ic Concionatoris sive Buccina-  
toris fungor munere, perque ædes  
has obambulo, & voces quasdam ac  
clamores edo, donec Dominum ex-  
citem, forasque progreedi faciam  
colloquendi gratiâ cum illis, qui  
eum desiderant. Ecquis, putas, nu-  
per excitavit nos, dum foris tam diu  
clamares, malleisque lachrymarum  
& suspriorum has pulsares fores?  
**Cum** primis quidem id fecit canis ve-  
stri latratus. Ego omnium certissi-  
mus sum charitatis nuncius, pri-  
musque ad portam venio, Do-  
minumque accedo, & ei proxim-  
us adsum, ceterisque celerius  
audior. Denique in mea potestate  
est, excellentis cuiusdam arboris  
apud nos constitutæ fructum, qui  
**DEI** Visio appellatur, distribuere, &  
edendum aliis præbere. **DESIDER.**  
**Dulcisne** hic fructus est? Etenim in

Hu-

Humilitatis domo alias quidam mihi oblatus est, qui subacerbus erat, maximeque initio difficile sumi ac deglutiri poterat. DESID. DEI. Hic fructus planè suavis est: quanquam alij aliis gratiorem atque uberiorem filius experiuntur dulcedinem, prout quisque majori esurie ac appetentiâ, firmioribus dentibus, atque palato saniori ac purgatori præditus est. Sunt namque, qui stupidos habent dentes, quibus hic fructus non convenit, quòd eum terere nequeant. Alij absque fame vel appetitu eum stimunt, eò quòd stomacho sint aliis escis oppleto & prægravato: iisque similiter parùm sapit, ægreq; ab eis concoqui potest, non tamen officit eis. Denique alios invenias licet, qui ob febrem, aliosque immoderatos calores gustum habeant infectum: iiisque, cuiusmodi hic fructus sit, non nisi solo auditu noverunt. DESID. Precor, hujus degustandi fructus copiam mihi facias.

K 2 DE-

DESID. DEI. Placet, quod degustare dicas. Non enim potest quisquam in hac vita pro libitu illo existiari: gustare duntaxat & experiri hic licet, quam suavis sit. DESID. Quid ita? DESID. DEI. Si quis hic pro sua voluntate, ad satietatem usque, eo abunde potiri posset, is ex hoc carcere & exilio emigrare, ad caelosque scandere non appeteret. Quare nos praे fame penè morientes, atque ex longa inedia viribus exhaustos, illum præstolari debere diem scias, quo ad cœnam magnam Regis & Domini nostri ingrediamur: non aliter eū suspirantes, quam cervus æstare desiderat ad fontes aquarum. Tantæ autem virtutis & efficaciam hic fructus est, ut unicus illius morsellus, hominis quantumlibet edacis totum stomachum replete. Atqui ubi cum Domino erimus, capaciores fortioresque nobis præstabit stomachos, ut fructum hunc absque ullo incommodo ad satietatem usque edere

quea-

queamus. Hic verò si quis plùs inde sumere velit, quàm ejus possit ferre stomachus, detrimentum potius quàm utilitatem inde reportabit. Unde necesse est, fructum hunc ut parcè ac moderatè sumamus, donec eò perveniamus, ubi eodem ipso, quem hic gustamus tantùm, abundè in omnem æternitatem nos expleturi sumus.

Ut DESIDERIUM DÆI, ad  
hunc edendum fructum Desi-  
derium præparârit.

## CAPUT XI.

DESIDERIUS. Obscro,  
mi Domine, ut fructus hujus,  
quantum ipse voles, mihi edendum  
præbeas. DESID. DÆI. Principio  
quidem, cùm fructus iste non nisi  
mundo contineatur vase, opus est,  
dentes ut purges tuos, osque & ocu-  
los, & faciem, manus ac pedes be-

K 3      nè

ne abluas. DESID. Ubi aquas obtinere licet? DESID. DEI. Evidem ad fontem vivum te perducam, noctu diuque scaturientem, cuius est vocabulum, SACRA RELIGIO: simulq; domus hujus convocabo virgines, quæ te lavabunt ac purificabunt. Placuit ea res Desiderio, latusque virginum sustinebat adventum: atq; ecce vidit Desiderium DEI eas secum adducere, ipsique dicere: Ha te nimis virgines abluent. Prima ex his dicitur Dulcedo, altera Concordia, tertia Pietas vel Condolentia, quarta Gratia, quinta Clementia, sexta Indulgentia, septima Misericordia, octava Benevolentia, nona Benignitas, decima Tolerantia, undecima Tranquillitas, duodecima Securitas, tertia-decima Gaudium, decimaquarta Discretio vel Moderatio, decima quinta Devotio, quæ quidem condimentum quoddam præbebit tibi, quod edendi appetentiam excitabit,

quo

quò tantò libentiùs & delectabiliùs  
fructum hunc edas. Siquidem idem  
ipse fructus non nisi esurientibus  
præstatur , fastidiosi autem dimit-  
tuntur inanes. Decimasexta virgo  
est Religio, decimaseptima Perse-  
verantia, decimaoctava Oratio, de-  
cimanona Honestas. Extremus de-  
nique ego sum, nempe Desiderium  
DEI, semperque huic adsum sacro  
virginum collegio sive contubernio.  
Et si quidem apud eas te quoque præ-  
sentem exhibueris, non mediocri-  
ter ad memoratum edendum fru-  
ctum tete præparabunt: quem po-  
ste aquam comederis, semper eas  
comites habebis, nec te deserent,  
nisi eas ipse repuleris. Sunt namq;  
non nihil ad hunc cibum avidæ, móx-  
que ubi fructum hunc conspiciunt,  
haud secùs quàm apes ad mel advo-  
lant, neque aliud certius indicium  
est, hoc fructu præditum esse homi-  
nem , quàm dum virgines istæ ad  
fores cernuntur. Lotus igitur De-

K 4 side-

siderius, & hujus esu fructūs recreatus, mirum in modum lētabatur.  
Cui tum Desiderium DEI: Frater  
mi, ait, quandoquidem jam eibum  
sumpsisti, etiam canendum tibi est.  
DEI namque servi, post acceptam  
escam canere solent, laudes gratesq;  
agentes D E O. Nec quisquam in  
his demoratur ædibus, qui non sit  
cantandi peritus. DESID. Quo pa-  
cto canam? DESID. D E I. Eanius  
ad chorūm, ubi cantores omnes de-  
gunt. Primus dicitur Benedictio,  
secundus Honor, tertius Laudatio,  
quartus gratiarum actio. Cum his  
pariter cantare debebis: namque  
insignes Musici & artifices sunt, opti-  
misque instructi vocibus. DESID.  
Quem me cantandi modulum servare  
oportet? DESID. D E I. Primus  
cantor, ut diximus, Benedictio est,  
isque Discantum exprimit, benedi-  
citque D E U M ob illius præcelsam  
omnipotentiam. Secundus est Ho-  
nor, qui Contratenoris vel Altī vo-  
ce

ce canit, psallitque & honore afficit  
DEUM pro illius infinita sapientia.  
Tertius Laudatio est, qui voce Te-  
noris utens, DEI immensam præ-  
dicat & extollit bonitatem, cunctasq;  
illius virtutes, nobilitatem & excel-  
lentiam, & quicquid is in seipso est.  
Quartus est Gratiarum actio, qui  
Bassum agens, grates canit DEO  
ob cuncta ab eo condita, & benefi-  
cia omnia creaturis quibuscunque ab  
eo collata.

*Quemadmodum Desiderius  
cantare didicerit.*

## CAPUT XII.

**M**irificè intereà Desiderius &  
modo cantandi, & cantu ipso  
capietur: aitque illi DEI Desi-  
derium: Vide jam, utrumne rever-  
ti velis. **D E S I D.** Quonam ire po-  
tero, ubi melius sim habiturus, præ-  
sertim cum huc tanto labore & diffi-

K 5 cul-

cultate pervenerim? Evidem cùm  
me h̄ic bene accipi, multaque pace  
& consolatione perfrui sentiam, neu-  
tiquam hinc discedam. Namque  
trito satis proverbio dici solet: Qui  
bene est, locum non mutet. Itaq;  
mi Domine, ut hinc abscedam, ad-  
duci non potero, nisi me etiam ma-  
gnâ violentiâ hinc expuleritis. DESID.  
DEI. Non ea nobis consuetudo est,  
ut quenquam hinc invitum excluda-  
mus: obsecramus potius eos, qui  
huc veniunt, ut apud nos permane-  
ant. Attamen ut nōrint, non aliqua  
necessitate nostra nos quenquam huc  
admittere, nonnunquam ex eis per-  
contari solemus, utrum abscedere  
velint. Sed quia h̄ic permanere  
constituisti, non oportebit h̄ic ocio-  
sum te agere. Non enim ullus h̄ic  
demoratur ociosus & iners, aut qui  
bonas horas malè collocet. DESID.  
Quid igitur me facere oportet? AMOR  
DEI. Id quod tibi demandatum erit.  
DESID. Quòd si nihil mihi deman-  
de-

detur, ecquid faciam? DESID. DEI.  
 Cantabis videlicet, gratesque & laudes ages D E O. Nam potissimum cantandi gratia huc admissus es. At nihilominus dum id facis, quod juberas, intra tete canere potes, ne cogitationibus ociosis pateas. Quod si multum proficere, Dominoque nostro impendio placere, atque in ejus te amicitiam insinuare, ingentemque facere fructum voles, quod ad poteris, (si nihil tibi commissum fuerit) cum illo solo colloqui & converlari debebis. Tum vero audies, quid in te loquetur, percipiesque secreta multa, quae ipse tibi revelabit, atque intimus illius efficieris amicus. DESID. Potestne quilibet in ejus cubiculum ingredi, atque cum eo miscere colloquia? DESID. DEI. Ita planè, modò humilitate sit comitatus. Estque hoc, crede mihi, præcipuum illius gaudium, ut ad ipsum quis accedat, ipsumque excitet. Siquidem haec illius natura

K 6 est,

est, ut solus esse nôlit, & quantumvis abjectâ & humili quis prosapiâ sit oriundus, tamen illi adesse & velit, & delectetur. Tanta enim illius præstantia & dignitas est, ut personam non attendat, nec personarum apud eum discrimen sit, modò tamen animus humilis sit. Enimverò tanti illi constitit unus homo atq; alius, mortalesque omnes ex eadem massa creavit. Imò quod plus est, quò persona est abjectior & vilior, modò ipsa se abjiciat & parvi pendat, eò majorem erga eam declarat amorem, atque uberiùs gratificatur. Et reverà, qui hîc apud nos degunt, eorum pars maxima ( paucis fortè exceptis ) humili genere orti sunt. Quos enim mundus despicit, DEus ad suum elegit famulatum, ne quis dominus hujus habitatorum persuadere sibi velit, non solâ DEI gratiâ & benignitate, sed suis se meritis id esse assecutum, ut huc intromitteretur. Si igitur apud nos commorari voles,

nul-

nullamque jacturam facere, & cum aliis cantoribus canere, efficereque, ut cantus tuus Domino nostro gratus sit, hæc quatuor servare curabis: Primum est Bona Voluntas, alterum Humilitas, tertium Patientia, quartum Charitas: quibus modulis quatuor quoties cantaveris, nunquam cantione errabis. Et licet interdum quippiam negligas, nec satis exactè canas, facile tamen probè auscultando ad cantūs normam & mensuram tere reduces. Primo modulo, qui est Bona Voluntas, cantum planum & simplicem, qui reliquorum velut basis est & fundamentum, canes. Altero verò & tertio, puta Humilitate & Patientiâ, Contrapunctum (ut vocant) canes. Siquidem Humilitas & Patientia contrariæ sunt semper voluntati propriæ. Quarto denique, nempe Charitate, organorum exprimes cantiones & sonos, idque ingenti animæ & spiritûs tui dulcedine, atque harmoniâ.

niâ. Quòd si labi & dissonare te contigerit, mox ad primum modulum te recipias. Porrò si ab aliorum etiam numeris modulorum excideris, Correctorem auscultes : qui Domini nostri Amore, & ejusdem auxilio, primo te tono & mensuræ restituet. Cum primis verò in omni cantione tua id fac diligenter observes, ne fructum illum obliviscaris edere, quem in Humilitatis domo percepisti, nempe Sui Diffidentiam: & quò plus Amoris & Desiderij DEI adeptus eris, eò perfectius eum cognosces & gustu experieris. In summa: tantò majori Domini amicitia perfruēris, quantò illi hunc fructum copiosius exhibueris; siquidem eo libenter vescitur, & admodùm ei gratus est & acceptus.



v

Ut Desiderium DEI, in Domini  
cubiculum Desiderium intro-  
duxerit, & de orandi  
modo.

## CAPUT XIII.

**D**ESIDERIUS. Unum adhuc te rogatum velim , quando jam me in hujus domûs habitatorem admittere non recusâsti , ut ad Dominum meum me perducas , quò illius consequi notitiam , & manus exosculari liceat. DESID. DEI. Nihil moror , quin ita fiat , perge igitur mecum. Jamq; Desiderius tremere cœpit , pensitans cum tantæ Majestatis Rege in ejus cubiculo sibi colloquendum esse , atque coram illò assistendum , adeoque ingenti est metu & angore correptus , ut nec posset , nec auderet Dominum accedere , redditumque meditaretur. Sed è diverso mente pertractans , Regem hunc

hunc tam suavem, nobilem, amicabilem, cunctisque benignum & affabilem esse, recepit animum, sola Regis benignitate confisus. Jussit autem illum DEI Desiderium ad fores subsistere, dicens, se visumabiturum, quid Dominus ageret, indicaturumque illi, ipsum ei colloqui velle. Porro Desiderius adhuc anxiis aestuabat cogitationibus, quidnam Domino diceret. Deinde Desiderium Dei illum accersiens, Veni, ait, Desideri. Jam enim Domino, te adesse, significavi. Ingredere intrò: ego hic ad fores præstolabor. Tum verò Desiderius multa cum reverentia cœpit per aulam ingredi: moxque ut Dominum vidi, cecidit pronus in terram, lachrymas fundens, nec caput aut oculos levare ausus. Non enim menti illius exciderat, quantus olim Domini sui hostis fuisset, quot eum injuriis & contumeliis affecisset, quam male & indignè de illo loquitus esset. Itaq;

ho-

horum contemplatione nihil eloqui,  
sed plorare tantum & ingemiscere  
noverat, attendens illi se adesse infi-  
nitæ bonitati, quam sic offenderat.  
**D O M I N U S.** Quid hoc sibi vult?  
quid h̄ic agis? Nihilne loqueris? Sur-  
ge, & die, quid velis. **D E S I D.**  
Ecquid coram tua Majestate, Domi-  
ne, effari possim? Nimirum planè  
indignus sum, spurcissimum os me-  
um in conspectu tuo aperire: sine  
me silere tantum & gemitus edere,  
meamq; plorare iniquitatem. **D O M.**  
Quamobrem igitur huc ingressus es?  
**D E S I D.** Non ego huc ingressus sum,  
mi Domine, quippe qui me neuti-  
quam meritum sentio, tuis in adi-  
bus demorari, multò minùs in tuum  
intrare cubiculum. **D O M.** Quis  
te igitur huc adduxit? **D E S I D.** Tu  
ipse, mi Domine. Tu me traxisti,  
tu clamare & invocare me fecisti, tu  
mihi aditum patefieri, meque ad te  
introduci jussisti. Evidem horum  
causam, aut quid eò te permoverit,  
vel

vel quorsum me indigeas , nescio.  
Satis enim superque sufficere puto ,  
si quis ejusmodi , ut sum ego , insi-  
mus famulorum tuorum servus , atq;  
domus tuæ mancipium sit : quan-  
quam nec id quidem mereor , imo  
id impetrare indignus sum. At nunc  
quando ipse me vocasti , placetque ,  
ut apud te maneam , tecumque col-  
loquar , Tu , mi Domine , aperi la-  
bia mea , & doce me , quid coram  
te proloqui debeam. Insere mihi  
spiritum timoris & reverentiae , ne  
tua per me lñdatur aut offendatur  
Majestas , vel indignè à me colatur ,  
neque deinceps tam viliter & contu-  
meliosè à tam improbo peccatore ,  
qualem me agnosco , tractetur. Si-  
quidem id magnâ tui vacare injuriâ  
non posset. Mallem sanè ipse me  
perimere , quam ad tuam injuriam ,  
contemptum & ignominiam tibi assi-  
stere. Hoc ipso namque cunctis  
Angelis & Archangelis , & omni  
cælorum exercitui , qui tanta cum

reve-



reverentia & fervore te amant, tibi serviunt, teque honorant, ingen-  
tem contumeliam & injuriam esse  
illaturus. Dic ergo, mi Domine,  
quid me proferre vel agere oporteat.  
Totum namque me tuis permitto  
manibus, totumque me tibi offero.  
Præsta mihi, Domine, humilitatis  
spiritum, quo tibi, Domuique tuæ  
& filiis tuis ita, ut oportet, servi-  
am, placeatque tibi famulatus meus,  
Tuque, mi Domine, in me hono-  
re & gloriâ afficiaris.

*Ut Dominus Desiderio optimas  
tradiderit sese benerendi  
institutiones & ca-  
nonem.*

## CAPUT XIV.

**S**Urge jam & pone formidinem.  
Modò posthac probus & integer,  
& qualem te decet, esse velis, om-  
nis

nis molestiæ & injuriæ mihi abs te illatæ, nunquam recordabor. Attamen ut possis effici melior, en quatuor quædam verba tibi tradam, quæ si bene servâris ac memoriâ retinueris, non mediocrem tibi adferent utilitatem. Priora duo sunt, Ego & Tu: posteriora duo sunt, Mancipium & Rex. Isthæc verba quatuor, ubi probè exercitare ac operi mancipare noveris, ad magnam tete perfectionem, cordisque puritatem provehent ac promovebunt, atque à cunctis animi motibus & perturbationibus rubeuntur, efficientque, ut cum quibuslibet deinceps pacifice, tranquillè ac amanter vivere & conversari queas. D E S I D. Obscro, mi Domine, uti ne explicare graveris, qua ratione isthæc quatuor verba exercitare debeam. D O M. Cuncta tua exercitia ad hæc verba referre potes: sunt namque sententiis grava, possentque de iis solis ingentia scribi volumina, suffic-  
rent-

rentque ad magnam obtainendam perfectionem, etiam absque ullis aliis codicibus. Itaque quando mecum colloqui instituis, si tum sentias te frigidum, distractum, aut propter aliquod tibi demandatum opus, malè affectum, ita tibi persuadeas, quasi his ego solis verbis te compellem, Ego & Tu : sicque Mundum omnem, & quicquid unquam sive visu, sive auditu perceperis, ex animo excludas, neminemque in Mundo, nisi me & te, superesse cogites. Alia duo verba, nempe Mancipium & Rex, ad vitam cum Fratribus in hac domo transiendum conferent. Quorum primum, puta Mancipium, eò pertinet, ut cogites, te omnium esse mancipium, qua re humilitatem & obedientiam exhibebis. Alterum verò, nempe Rex, id sibi vult, ut memineris te tui ipsius regem esse. Ego verò ejusmodi reges omnes multis afficio divitiis atque deliciis. Hac  
jam

jam institutione in prælens conten-  
tus abi, bonaq; pace fruere. DESID.  
Cur me, Domine, hinc abscedere,  
teque deterere jubes? DOM. Ne  
te dignum aut meritum putas, qui  
semper mecum permaneas, nisi  
quantum ipse velim, aut cum te ac-  
cessiri jubeam, neve inde quicquam  
inanis gloriæ aut præsumptionis vel  
præfidentiæ concipias. Cæterum  
ubi mihi visum erit, te faciam ad-  
vocari. Atqui antequam hinc rece-  
das, cor tuum hinc apud me depo-  
nas, ita ut ubiunque te esse conti-  
gerit, tui præcipua ac potior portio  
mecum sit. DESID. Gratum id  
habeo, mi Domine. Evidem cor  
meum totum tibi præbeo & offero.  
DOM. Placet mihi, ut hac vice  
apud me permaneat. Non est autem,  
quod putas, semper te id, quoties  
voles, facere posse. Imò verò pro  
tui humiliatione grandiique utilitate  
quandoque etiam illud apud me reti-  
nere recusabo. Unum tamen hoc  
nō s-

nōsse te velim, quod alioqui ignoras, tantò me crebrioribus amicos meos molestiis, doloribus & adversis casibus affligere, quantò eis plus utilitatis, solatij & gaudij præstare appeto & labore. Verùm si canem tuum, hoc est, Bonam Voluntatem apud me relinquere velis, poteris is perpetim mecum permanere, ut nunquam hinc recedat, nisi ipse velis, sed eum mihi quotidie commendare debebis. D E S I D. Quid necesse est, quotidie eum commendare tibi? Satisne sit semel id fecisse? D O M. Minimè sanè: non quidem ne ego tui obliviscar, sed ne te inēi capiat oblivio, utque occasionem habeas, me tuo semper in pectore sive memoriā retinendi, atque ita ipse tibi gratificer & benefaciam, & pro tuo usu & utilitate suppetias & opem tibi feram. Nam quod ad me attinet, quis inde ad me fructus reddit, si mei vel memor sis vel immemor? D E S I D. Gratias uberes tibi

aga

ago Domine. Jam pridem enim  
novi benevolentiam & bonitatem  
tuam, propter quas solas cuncta in-  
nobis agis & operaris, perinde quasi  
nostri indigus sis, idque nonnisi pro  
salute & utilitate nostra.

*Ut Desiderius memorata Domini  
quatuor verba exercitârit, &  
quem inde fructum sit  
consecutus.*

## CAPUT XV.

**H**is ita transactis, Desiderius ex  
DOMINI cubiculo discessit,  
relieto apud eum corde suo: inve-  
nitque Desiderium DEI, suum præ-  
foribus redditum sustinens. Cui tum  
DESIDERIUM DEI. Ecquid, ait,  
tam diu intus egisti? Crede mihi,  
nonnunquam uno apud illum verbo  
plus, quam centum, efficeris.  
DESID. Vide cor mihi, mi. Domine,

bre-

brevem nimis apud illum morulam egisse. DESID. DEI. Jam totam hanc perlustra Domum , postea- quam hic receptus es. DESIDER. Ad cubiculum meum me conferam. DESID. DEI. Abi feliciter. Dein- de Desiderius singulis quibusque diebus memorata DOMINI qua- tuor verba animo revolvebat , sæ- piusque ipse sibi dicebat : Ego & Tu, Mancipium & Rex. Quomodo- cunque autem ea proferret , misce- ret & divideret , semper recte se habebant. Siquidem primum , quod est Ego , cum tertio , quod est MANCIPIUM , conjungens , recte , inquit , pronuncio . Nam ob DO- MINI mei Amorem , Mancipium sum. Deinde primum cum quarto , id est , Regem , copulans , itidem bene se proferre ajebat , Regem enim se esse , quandoquidem DEI servus esset , cui servire , regnare est. Rursus alio ordine proferens,

L &amp;

& Regem cum Mancipio jungens,  
bene, inquit, dico. Nam cœli  
Dominus, ut me Regem faceret,  
Mancipium se fecit: & qui Rex esse  
cupit, Mancipium se faciat oportet.  
Ad multa igitur Desiderius  
hæc verba utiliter accommodabat.  
Siquidem si externa quapiam pre-  
meretur adversitate, nihil moror,  
inquit, quid de me sentiant aut lo-  
quantur homines, honorent, an-  
contemnant, Mancipium sum;  
Mancipium hæc decent. Si vero  
voluptate ad malum se trahi persen-  
tiret, absit, inquit, ut qui Rex  
sum, turpium vitiorum mancipium  
sum. Non decet abominanda &  
vilissima servitus nobilitatem me-  
am. Eximiam itaque ex hisce ver-  
bis sive conjunctis sive transpositis  
colligebat utilitatem Desiderius:  
nam & nascentes in eo cupiditates  
restinguebant, & adversa quæque  
leniebant & sedabant. Verum  
cum

cum infinita penè horum verborum  
possit esse explicatio , ego ne pro-  
lixitate molestus sim , reliqua id  
genus aliis consideranda  
relinquo.

*Partis Tertiae & ultima*  
**F I N I S.**



L 2 AP-

APPENDIX  
*Ex*  
**D. LUDOVICI  
BLOSII,**

Abbatis Operibus descripta,  
superioris Dialogi veluti sum-  
mam quandam paucis capitibus  
complectens.

*Tredecim Praeceptiunculae ijs,  
qui ad perfectum amorem  
aspirant, cum primis  
utiles.*

**P R A E C E P T U M I.**

**P**ropter Amorem JESU Christi,  
qui pro te durissima passus est,  
oblectamentis sensuum renuncia.  
**Q**uando aliquid videre, audire,  
odorari, gustare, tangere vel lo-  
qui vis atque desideras: memineris  
non sensualitati te incitanti, sed ra-  
tioni & D E O in te loquenti obedi-  
endum esse. Etiam paratus esto ca-  
rere oblectamentis spiritus juxta  
DEI

## APPENDIX.

DEI beneplacitum atque ordinationem. Et quando consolatione dulcedineque interna recrearis, cave, ne in ea quiescas, neve illa ad propriam voluptatem abutaris.

II. Visum & auditum & linguam diligentissime custodi, ne ad illicita, vana atque inutilia declinent. Oportet te vigilantem & valde cautum esse in loquendo, ut non plura verba proferas, neque aliter loquaris, quamconvenit. Sermo tuus sit succinctus, simplex & tranquillus. Omnia membra corporis tui studiosè rege & contine. Rism immoderatum & omnem morum levitatem devita.

III. Nulli creaturæ per inordinatum affectum adhaeres, sed omnibus rebus caducis morere, & animalium ab eis liberum gere: nam in tali libertate, verissima, jucundissimaque vita latet.

IV. Passiones & affectiones vitiosas, propriamque voluntatem atque

L 3        quæ-

## APPENDIX.

quaestionem, sedulò in te per integrum tui abnegationem & resignationem perime. Voluntatem verò divinam unicè dilige, eamque semper exopta, & ei prorsus te subde: adeò, ut quicquid vult DEUS, ve- lis & ipse. Ubique DEI laudem & honorem potius quam tuum com- modum quare.

V. In omnibus, quæ accidunt, providentiam DEI sapienter atten- de, & te tuaque omnia Domino se- curè committe: sciens illi curam esse de te. Quamlibet adversitatem atq; tribulationem (sive ea interna sive externa sit) de manu DEI suscipe: certò credens eum pro tua utilitate & salute illam misisse. Tolera igitur eam æquanimitter ad ultimum usque punctum: gratias Domino agens & eum laudans, cuius permisso atque ordinatione illa evenit. Et propter injurias tibi irrogatas non perturbe- ris, neque impatienter apud homi- nes conqueraris, sed memoriâ re-

pe-

## *APPENDIX.*

petens iniquitatem & ingratitudinem tuam, dignum te esse existima, quem omnes reprehendant, increpant, contemnunt, vexent, irrideant, & etiam pedibus conculcent. Quare anxius es, & dejiceris animo propter verba hominum, aut propter tentationes, quas pateris? Sentiant & dicant homines, quod volunt de te: desæviat mundus, desæviat diabolus (quantum DEUS permittit) in te. Tu interim ipsi Domino humiliter firmiterque innitere, & in silentio pacem cordis conserva. Si ritè perpendis, quām indigna atque acerba Creator & Redemptor tuus Christus JESUS perpessus sit, paratissimo animo gravia quæque tolerabis.

VI. Deprime & constitue te infra omnem creaturam: considerans propriam vilitatem, propriumque nihilum tuum. Si aliquid te esse existimas, quum nihil sis, si opera vel exercitia tua insipienter apud te ipsū

L 4 ma-

## APPENDIX.

magni facis , nimirum superbissimus  
es , & coram D E O fætes . Quid-  
quid boni habes , DEI est , non tu-  
um . Vide igitur , ne illud tibi usur-  
pes , quod DEI est : vide , ne inde  
stultè glorieris , & tibi placeas , ob-  
idque D E O omnino displiceas . Ju-  
dica te etiam minimo DEI dono in-  
dignum esse .

VII. Voluntatem & sensum alte-  
rius , in his quæ licita sunt , liben-  
ter perfice ac sequere , tua volunta-  
te abnegata , tuoque sensu relicto .  
Obedi semper promptissimè : quia  
D E O gratissimum est , quicquid pu-  
rè fit per Obedientiam : contrà , ipse  
D E U S execratur , quicquid fit per  
inobedientiam .

VIII. Paucis & simplicibus rebus  
contentus esto , exemplo Domini  
J E S U ac M A R I Æ Matris ejus .  
Non ames vanitatem in vestitu , neq;  
luxum in viētu . Et quām ingratus  
esses , si propter cibum vel potum  
minùs suavem atque exquisitum  
mur .

## APPENDIX.

murmurares , quum Christus felle  
& aceto pro te potatus fuerit ? Si  
desunt etiam ea , quæ necessaria esse  
videntur , DE U M lauda , & in  
eo confide , qui suos deserere ne  
scit , licet eos nonnunquam egestate  
premi utiliter permittat.

IX. Omnes homines sincerè  
dilige , ut fratres & sorores nobilis  
sim DEI imagine insignitos . Om  
nium salutem medullitùs exopta .  
Omnibus maximeque inimicis &  
persecutoribus benignum serenūmq;  
vultum ac placida verba exhibe .  
dulcore sanctæ Charitatis sanans &  
extinguens in te omnem cordis ama  
rulentiam . Omnes adjuvare atque  
consolari paratus esto . His qui af  
flicti sunt , & his qui peccant , com  
passionem impende . Pro virtuti  
bus aliorum , sicut pro propriis ,  
gaude , & miseriam aliorum , tuam  
esse reputa : existimans , quemlibet  
esse te ipsum .

Ls X.Ne-

## APPENDIX.

X. Neminem contemnas. Temeraria judicia & pravas suspiciones magnâ diligentia è corde tuo profliga. Consuece de omnibus bensentire. Dicta & facta aliorum in meliorem partem simplici corde interpretare. Omnes tibi ex animo præpone. Te omnium ingratissimum vilissimumque esse crede. Dic tibi ipsi, dic DEO, Ego non sum dignus, quem terra sustineat. O si saperes, quām libenter abjecta quāque opera propter DEUM perfices: quām alacriter quibuslibet hominibus inservires. Nam & Christus Dominus formam servi accepit factus homo, pedesque discipulorum suorum lavit.

XI. DEO, non hominibus placere stude: & despici magis, quām laudari vel honorari appete.

XII. Pias & sanctas cogitationes fove, DEIque præsentiam ubique attende, dulcia cum eo colloquia miscens, sive sentias sive non ientias de-

## APPENDIX

devotionem. Ad spiritum verò recol-  
ligendum , & præsentiam DEI reve-  
renter considerandam, multùm juva-  
re possunt hæc verba sæpiùs recogi-  
tata.: O Domine DEus, tu mihi sem-  
per ades, tu in fundo animæ meæ ha-  
bitas, Amen.

XIII. Quicquid DEus non est, nō  
magnoperè cures , nec multùm ad te  
pertinere arbitreris: sic enim per  
sanctam introversionem ipsi DEO li-  
bera mente intendere vacareque po-  
teris. Et profectò unum est necessa-  
rium. Ad quod obtinendum, labora-  
re , conari , & quod in te est, facere  
semper debes: ita tamen , ut de te ,  
tuisque conatibus proflus desperes ,  
& in solo DEO , in sola ejus miseri-  
cordia ac bonitate, in solo gratiæ ejus  
auxilio, spem omnem reponas. Nam  
sine D E O nihil nisi peccare potes .  
Istas præceptiunculas crebrò relege,  
& ad eas vitam moresque tuos  
sedulò examina.

F I N I S.



---

## INDEX

# CAPITUM HUIUS DIALOGI, IN TRES PARTES DISTRIBUTI.

## PARTIS I.

- CAP. I. *Desiderius peregrinatur.* Folio 12.  
CAP. II. *Instruit Prælatos ac Pa-*  
*stores spirituales.* 14.  
CAP. III. *De Eodem.* 18.  
CAP. IV. *De Humilitatis Do-*  
*mo.* 21.  
CAP. V. *Ut Vana Gloria ad fores*  
*excubârit.* 25.  
CAP. VI. *Quaratione ad Humili-*  
*tatem perveniat.* 28.  
CAP. VII. *De Humilitatis Propo-*  
*sito, & ejusdem cum Deside-*  
*rio collocutione.* 35.

CAP.



INDEX.

CAP. VIII. Prosequitur inchoatum sermonem Humilitas.

41.

CAP. IX. Sermonis hujus continuatio, & de concertatione adversum vitia. 46.

CAP. X. De Concupiscentia Carnis. 50.

CAP. XI. De Concupiscentia Oculorum & superbia vitae. 57.

CAP. XII. Quibus rationibus cæteræ virgines improbae superandæ sint. 70.

CAP. XIII. Quibus modis malitia omnis prorsus profliganda sit. 84.

CAP. XIV. De cæteris Humilitatis exercitiis. 93.

CAP. XV. De virtutibus jam dictæ Humilitatis filiabus. 96.

CAP. XVI. Ut Creaturæ omnes bo-

na

## INDEX.

- næ sint, & tamen nemo bonus sit, nisi DEUS.* 103.  
**CAP. XVII.** *De eodem Argumento.* 108.  
**CAP. XVIII.** *De Simplicitatis moribus & conditione.* 112.  
**CAP. XIX.** *Quibus rebus cordis Puritas & Innocentia servetur.* 117.  
**CAP. XX.** *De Paupertate.* 122.  
**CAP. XXI.** *De Obedientia.* 129.  
**CAP. XXII.** *De Castitate.* 134.  
**CAP. XXIII.** *Prima Partis Conclusion.* 140.

## PARTIS II.

- CAP. I.** *De Patientia.* 145.  
**CAP. II.** *Ut DEUS per creaturas cognoscatur.* 151.

PAR-



INDEX.

PARTIS III.

- CAP. I. *De Amoris DEI Probatio-*  
*ne & exercitatione.* 158.
- CAP. II. *De Amore Proximi.* 164.
- CAP. III. *De Amore DEI & Proxi-*  
*mi, & de alio Amoris Gra-*  
*du, ejusq; functione sive*  
*officio & exercitio.* 168.
- CAP. IV. *Prosequitur adhuc Amo-*  
*ris DEI in eodem gradu offi-*  
*cium.* 174.
- CAP. V. *De reliquis duobus Amo-*  
*ris DEI Propositis, nempe*  
*Nihil desiderare vel appete-*  
*re, & Nihil cogitare.* 181.
- CAP. VI. *De eodem Amoris DEI*  
*officio, & de oratione in eo-*  
*dem gradu.* 185.
- CAP. VII. *De Amoris DEI officio*  
*in eodem altero gradu, &*  
*Prosequutio eorum, quæ de*  
oran-



**INDEX.**

- orandi modo dicere cæperat. 192.
- CAP. VIII.** *De tertio Amoris gradu.* 198.
- CAP. IX.** *De illis, quæ Amor DEI odit, & epilogus officij illius.* 207.
- CAP. X.** *Ut Amor DEI Desiderium in ædes introduxerit.* 212.
- CAP. XI.** *Ut Desiderium DEI ad hunc edendum fructum, Desiderium præparârit.* 219.
- CAP. XII.** *Quemadmodum Desiderius cantare didicerit.* 223.
- CAP. XIII.** *Ut Desiderium DEI, in Domini cubiculum Desiderium introduxerit, & de orandi modo.* 229.
- CAP.**



## INDEX.

CAP. XIV. Ut Dominus Desiderio optimas tradiderit sese bene gerendi institutiones & canonem. 233.

CAP. XV. Ut Desiderius memoria Domini quatuor verba exercitarit, & quem inde fructum sit consecutus. 238.

## FINIS.





UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN





UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN






UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

seminasq; multā eū in uelatis partē  
et mercedes congregavit misit cas in seculū  
per ihsum. Agnisi l. 6. 6. **N.**

ponile corda tua supra vias uras ibid.  
sic et ego habui mentes vacues, et noctes  
laboriosas enumeraui mihi Jobi 7.  
pulverem iactilibus in aerem ad. 27.  
iactantes tridion in mare ad. 27.



Th  
4487